ROZPRAWY
AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI.

WYDZIAŁ
MATEMATYCZNO-PRZYRODNICZY.

Serya II. Tom XVI.

Ogólnego zbioru tom trzydziesty szósty.

(z IX tablicami i 20 ryc. w tekscie).

W KRAKOWIE
NAKŁADEM AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI.
SKŁAD GŁÓWNY W KSIĘGARNI SPÓŁKI WYDAWNICZEJ POLSKIEJ.
1899.

Drukarnia Uniwersytetu Jagiellońskiego pod zarządem J. Filipowskiego.

TREŚĆ.

Symbola ad faunam
Aranearum Austriae inferioris
cognoscendam.

Scripsit

W. Kulczyński.

(Accedunt tabulae 2).

(Rzecz wniesiona na posiedzeniu Wydziału matem.-przyr. dnia 7 marca 1898).

Etiamsi plus quam centum ante annis fundamenta quaedam arachnographiae Austriacae iacta sunt a Francisco de Paula Schrankio, valde manca et magnâ ex parte dubia sunt ea, quae de fauna Aranearum Austriae inferioris ad hoc tempus novimus. Anno 1852 L. Doleschal in opusculo, quod inscribitur: Systematisches Verzeichniss der im Kaiserthum Österreich vorkommenden Spinnen, 120 species Aranearum ut Austriae inferioris incolas protulit. Post eum auctores nonnulli oblatâ occasione indicia quaedam aranearum in Austria occurrentium fecerunt et species nonnullas novas secundum exempla in Austriâ inventa descripserunt; nemo fuit tamen, qui faunam Aranearum Austriacarum accurate et diligenter explorare in animum induxerit et ad finem sibi propositum quodammodo pervenerit [1]).

Schrankii opus, vetustate obsoletum, parum prodest in cognoscendam faunam Aranearum Austriacam. Etiam eo tempore, quo Doleschal

[1]) Araneas sat multas in Austriâ inferiore collegisse videtur L. v. Kempelen, sed indicem earum in lucem non edidit. Species aliquot novas ab eo inventas descripsit Cel. T. Thorell.

indicem suum composuit, arachnologi parum spectabant notas nonnullas subtiliores, quae ad recte distinguendas species Aranearum prorsus necessariae sunt. Inter species a Doleschalio enumeratas non paucae itaque omnino sunt incertae aut aliquâ parte saltem dubiae. Quinque species prolatae sunt ab eo sub binis, imo una earum fortasse sub tribus nominibus. Species, quas auctores posteriores ut Austriae indigenas commemoraverunt aut ut novas descripserunt, pleraeque certo rectis nominibus sunt appellatae et apte descriptae; nihilominus pars quaedam harum aranearum dubii sunt incolae Austriae inferioris, quoniam nonnunquam extricari non potest, utrum auctor archiducatum aut imperium Austriacum patriam speciei dicat, de aliis vero nonnullis non constat, utrum in Austriâ inferiore aut in Hungariâ inventae sint.

Adeo disiecta sunt ex parte indicia aranearum Austriacarum, ut nesciam, an mihi non contigerit omnia ea expiscari. Consummatis omnibus, quae novi, et reiectis eis, quae certo non recta sunt aut omnino dubia videntur, species, quae ad hoc tempus in Austriâ inferiore in lucem prolatae sunt, numerum 147 non excedere censeo[1]). Quem numerum si triplicare nunc possum, id beneficae voluntati et eximiae dexteritati carissimi amici mei Prof. Boleslai Kotula debeo. Anno 1887 araneas nonnullas in Alpibus Austriae inferioris collectas benigne mecum communicavit vir clarissimus, anno 1890 araneas sat multas in vicinis Vindobonae captas dono mihi dedit, denique anno 1891, roganti mihi obsequens, inde ab extremis diebus mensis Aprilis usque ad initium Septembris summâ cum diligentiâ vicina Vindobonae aliasque nonnullas partes Austriae inferioris perquisivit et thesaurum opulentissimum aranearum congessit, cuius indicem, quantum fieri potest, accuratum componere mihi proposui. Araneis, quas a B. Kotula accepi, species aliquot adiungam, a Cel. Prof. A. Nosek Vindobonae et in eius vicinis (Gersthof, Brigitten-Wald, Franz Joseph Land) collectas et benigne dono mihi datas, et araneas perpaucas, quas anno 1886 ipse ad Aquas Pannonias (Baden) legi adiuvante B. Kotula.

Loca, quae Cel. B. Kotula subtilius perscrutatus est, haec sunt:

Marchfeld, prope Unt. Gänserndorf (fruticeta, vallum et fossae viae ferreae) et prope Zwerndorf (silvae arborum frondescentium ad fluvium Marchum sitae),

Bisamberg, mons in ripâ sinistrâ Danubii,

---

[1]) Inter has 147 species modo 106 incolae Austriae inferioris sunt nulli dubio subiecti.

Kahlenberg, mons in ripâ dextrâ Danubii (pleraeque araneae collectae sunt hic ad rivum vicinum, *Hyctia Novoyi*, *Xysticus acerbus* nonnullaeque aliae species vero in declivibus montis aridis et lapidosis).

Leopoldsberg, mons ibidem (latera in septentriones et in meridiem spectantia),

Nussberg prope Kahlenbergdörfel (perquisitae sunt radices montis septentrionales),

Galizinberg in montibus Wiener Wald dictis,

Wiener Berg et Laaer Berg una cum suburbiis hic sitis et cum hortis „Schönbrunner Park" eorumque aedificiis,

Inzersdorf am Wienerberg (pleraeque araneae collectae sunt in muris et saepibus et sub eis et ad rivum),

Donauauen a „Prater" usque ad Langenzersdorf,

Laxenburg,

Gaisberge prope Perchtoldsdorf: declivia septentrionalia, regio vinetorum orientalis, silvae supra eam sitae: Predigerstuhl, Mitterberg cet.,

Anninger (hoc nomine totam turmam montium appellabimus, inter Brühl prope Mödling et Pfaffstetten sitorum, inclusis itaque montibus: Jenny-Berg, Eichkogel cet.),

Lindkogel prope Aquas Pannonias (Baden): partes montis septentrionales usque ad verticem, 250—709 m.,

Neukogel prope Gutenstein: vallis pagi Neusiedl et declivia vicina, 440—870 m.,

Raxalpe: vallis Höllenthal inter Payerbach et ostium vallis Gross Höllenthal, Gross Höllenthal et porro usque ad cacumen Heukuppe,

Oberer Adlitzgraben: vallis et declivia Semmering-Pass versus, inter 710 et 930 m. altid.,

Semmering-Pass: pars septentrionalis pylarum et latera montium Göstritz et Pinkenkogel (cuius declivia meridionalia ad Styriam pertinent), 930—1030 m.,

Leithagebirge: partes septentrionales horum montium, Pirscher Wald et Spital-Berg dictae, cet., pleraeque in Hungariâ sitae.

Plerisque partibus thesauri anno 1891 congesti B. Kotula annotavit, in quâ altitudine collectae sint. Notas has, etiamsi parum exactae sint, non reiiciendas censui, quoniam distributionem aranearum secundum regiones variae altitudinis quodammodo illustrant. Monendum est, ne numeri metrorum, quos brevitati studens infra binos signo — coniunctos apud singulas species proferam, pro veris et certis speciei terminis habeantur; nil aliud hi numeri significant, quam speciem in locis inventam esse, quae inter lineas indicatae altitudinis iacent.

Araneas eas perpaucas, quae secundum auctores in Austriâ occurrunt, quarum exempla Austriaca ipse vero non vidi, in indicem meum intexam signo * notatas. Apud species alias ab auctoribus ut Austriae incolae iam prolatas, auctores hos nominabo, et synonyma, quibus usi sunt, proponam.

Opera, in quibus araneae Austriae inferioris enumerantur, describuntur aut commemorantur, haec sunt, quod sciam:

1. F. Schrank, Enumeratio Insectorum Austriae indigenorum. Augustae Vindelicorum 1781 [1]).

2. Walckenaër et Gervais, Histoire naturelle des Insectes. Aptères. Paris 1837—1847.

3. Fr. W. Rossi, Neue Arten von Arachniden des k. k. Museums, beschrieben und mit Bemerkungen über verwandte Formen begleitet von . . . Wien 1846. (Naturwiss. Abhandlungen . . . W. Haidinger, vol. I.).

4. L. Doleschal, Systematisches Verzeichniss der im Kaiserthum Österreich vorkommenden Spinnen. (Sitzungsberichte d. mathem.-naturw. Classe d. k. Akad. d. Wiss. zu Wien, vol. IX. 1852. p. 622—651).

5. K. Doblika, Beitrag zur Monographie des Spinnengeschlechtes Dysdera. (Verhandl. zool.-botan. Gesellsch. Wien, vol. III. 1853, p. 115—124).

6. E. Simon, Monographie des espèces européennes de la famille des Attides. (Annales de la Société entomologique de France, 1868—69, ser. 4. vol. 8, p. 11—72, 529—726, tab. 5—7).

7. L. Koch, Die Arachnidengattungen Amaurobius, Coelotes und Cybaeus. (Abhandl. naturhist. Gesellsch. Nürnberg. 1868).

8. T. Thorell, Remarks on Synonyms of European Spiders. Upsala, London, Berlin. 1870—73.

9. A. Ausserer, Neue Radspinnen. (Verhandl. zool.-bot. Gesell. Wien, 1871, vol. 21, p. 815—832).

10. E. Simon, Révision des Attides européennes. Supplement à la Monographie des Attides (Attidae Sund.). (Ann. Soc. entom. France, 1871—72, ser. 4. vol. 10, p. 125—230, 329—360).

11. L. Koch, Ueber die Spinnengattung Titanoeca Thor. (Abhandl. naturhist. Gesellsch. Nürnberg, 1872, vol. 5, p. 153—170).

---

[1]) Inter 22 araneas, quae in opere hoc enumerantur, tres modo in Austriâ inferiore occurrere expresse dicuntur; probabile tamen videtur, eas omnes ab auctore in Austriâ inferiore observatas esse.

12. P. Pavesi, Catalogo sistematico dei Ragni del Cantone Ticino con la loro distribuzione orizzontale e verticale e cenni sull' araneologia elvetica. Genova 1873. (Annali del Museo Civico di Storia Naturale, vol. IV.).

13. E. Simon, Les Arachnides de France, vol. 1–5. Paris 1874—1884.

14. T. Thorell, Descriptions of several European and North-African Spiders. (K. Svenska Vetensk. Akademiens Handlingar, vol. 13 Nr. 5.) 1875.

15. O. Herman, Magyarország pok-faunaja. Ungarns Spinnenfauna. Vol. 1. Budapest 1876.

16. L. Koch, Verzeichniss der in Tirol bis jetzt beobachteten Arachniden, nebst Beschreibungen einiger neuen oder weniger bekannten Arten. (Zeitschr. des Ferdinandeums für Tirol und Vorarlberg; ser. 3, vol. 20, 1876).

17. H. Lebert, Bau und Leben der Spinnen. Nebst Uebersicht und specieller Beschreibung der Schweizer Spinnen. Berlin 1878.

18. Ph. Bertkau, Verzeichniss der bisher bei Bonn beobachteten Spinnen. (Verhandlungen d. naturhist. Vereins d. preuss. Rheinlande und Westfalens, vol. 37. 1880, p. 215—343).

19. L. Becker, Les Arachnides de Belgique, vol. I, II, III. Bruxelles 1882—1896.

20. A. Förster und Ph. Bertkau, Beiträge zur Kenntniss der Spinnenfauna der Rheinprovinz. (Verhandl. naturh. Ver. preuss. Rheinl. u. Westf., vol. 40. 1884, p. 205—278).

21. W. Kulczyński, Przyczynek do tyrolskiej fauny pajęczaków. Symbola ad faunam Arachnoidarum Tirolensem. (Rozprawy i Sprawozdania Wydziału matem.-przyrodn. Akademii Umiejętności w Krakowie, vol. XVI, p. 245—356. 1887).

22. C. Chyzer et L. Kulczyński, Araneae Hungariae secundum collectiones a Leone Becker pro parte perscrutatas conscriptae a . . . Budapestini 1891—1897. Vol. 1, 2.

23. A. Nosek, Seznam českých a moravských pavouků. (Vestn. kr. česke společn. nauk. Tř. math - přirod. 1894).

24. O. P. Cambridge, On new and rare British Spiders. (Proceed. Dorset Nat. Hist. a. Antiqu. Field Club, vol. 16. 1895, p. 92–128).

Quod de araneis Austriacis in operibus: 12, 13, 15, 17, 18, 20, 23 dicitur, repetitum est aut repetitum videtur ex aliis auctoribus aut aliis libris, quam ob rem opera haec fere non citabo.

Familias et genera eo ordine proferam, in quem ea Cel. E. Simon in opere, quod inscribitur: Histoire naturelle des Araignées,

edit. 2, digessit, etiamsi cum Cel. T. Thorellio et R. I. Pocockio persuasum habeo, *Cribellatas* partem naturalem ordinis Aranearum non formare.

Indici Aranearum adnotationes quasdam adiungam, in quibus species, quae novae videntur, describam et species eas breviter attingam, quarum in tabulis synopticis pro opere „Araneae Hungariae" conscriptis mentionem non feci. An omnes species, quas novis nominibus ornabo, re verâ nondum descriptae sint, alii viderint. Non desunt ad hoc tempus aranearum descriptiones, non paucae quidem, e quibus species descriptae agnosci non possint. Nil mirum, si species tales ab aliis ut novae describuntur et eis nova nomina imponuntur. Synonymum novum quodque malum est quidem, non magnum tamen, si descriptione prioribus meliori pensatur!

Atypidae.

Atypus Latr.

A. Beckii Cambr. (*A. piceus* Thor., Bertk.). Gaisberge, in silvâ mediocriter densâ inter gramina altiora in altitudine 200—300 m. sat frequens; die 29. VIII. feminae in nidis cum folliculis ovorum. Neukogel, 3. VII. mas. — Austriam ut patriam huius speciei Ph. Bertkau anno 1880 protulit quidem (18, p. 221), a. 1884 tamen tacitam reliquit (20, p. 258). — Chyz. & Kulcz. (22, v. 2, p. 279).

Uloboridae.

Uloborus Latr.

* *U. Walckenaërii* Latr. Occurrit teste Doleschalio prope Vindobonam, sed raro (4, p. 635).

Hyptiotes Walck.

* *H. paradoxus* C. L. Koch. Marem subadultum *H. paradoxi* a Schreberio prope Vindobonam inventum et depictum Walckenaër ut speciem propriam descripsit nomenque ei dedit: *Hyptiotes (Uptiotes) anceps Schreberi* (2, p. 278).

Dictynidae.

Amaurobius C. L. Koch.

A. claustrarius (Hahn). Oberer Adlitzgraben et Semmering-Pass, inter 710 et 1030 m.; 31. V. feminae ad. — Occurrit teste Doleschalio prope Vindobonam (4, p. 626).

A. ferox (Walck.). Frequens: Bisamberg, Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Gersthof, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Gaisberge, Anninger, Lindkogel; inter 170 et 400 m.

A. fenestralis (Stroem.). Leopoldsberg, Galizinberg, Gaisberge, Raxalpe, Oberer Adlitzgraben. — Doleschal (4, p. 626) Austriam ut patriam „*Clubionae atrocis* Walck.“ profert et testem C. L. Kochium nominat, quod nescio an mendum sit. Teste L. Beckerio (19, v. 3, p. 231) incolit *A. fenestralis* vicina Vindobonae.

A. Erberii (Keys.). Bisamberg, Leopoldsberg, Anninger; inter 200 et 400 m. Mares mense IV et V, feminae: IV—VIII.

Titanoeca Thor.

T. quadriguttata (Hahn). Frequens: Bisamberg, Leopoldsberg, Nussberg, Gaisberge, Anninger, Lindkogel, Neukogel; inter 170 et 500 m. saltem. Mares: 15. V—26. VI, feminae: 15. V—11. VIII. — Doleschalii „*Theridion 4-guttatum* Walck.“ (4, p. 636) fortasse huic speciei subiungendum est. L. Koch (11, p. 35), Becker (19, v. 3, p. 227).

T. Schineri L. Koch. Frequens: Marchfeld, Bisamberg, Kahlenberg, Galizinberg, Wiener et Laaerberg, Donauauen, Gaisberge, Anninger, — Leithagebirge; inter 170 et 400 m. Mares et feminae: 4. VI—29. VI. — Speciem hanc Dr. L. Koch secundum exempla descripsit, quae in vicinis Vindobonae collecta videntur (11, p. 39).

(In „Les Arachnides de France“ vol. I, pag. 210 E. Simon ut patriam *Titanoecae flavicomae* L. Koch non recte Austriam protulit; *T. flavicomam* Dr. L. Koch secundum exempla Italica descripsit).

Lathys E. Sim.

L. humilis (Blackw.) Leopoldsberg, 6, VI. femina unica.

L. stigmatisata (Menge)[1]). Gaisberge, in regione vinetorum (250—400 m.) 1. V. mas unicus.

Dictyna Sund.

D. viridissima (Walck.). Vindobona (area castrorum Leopoldi), Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Donauauen, Franz Joseph Land, Brigittenwald, Jennyberg; inter 160 et 250 m.; 8. IX. mas, 25. VIII. feminae.

D. flavescens (Walck.). Frequens: Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Gersthof, Galizinberg, Wiener et Laaer Berg, Donauauen, Franz Joseph Land, Brigittenwald, Anninger, — Leithagebirge; inter 157 et 423 m.; mares 12. V—6. VI, feminae 12. V—11. VIII.

D. mitis Thor. Non frequens: Wiener et Laaer Berg, Donauauen, Gaisberge; inter 170 et 400 m.; mares: 1—18. V, feminae: 18. V—1. VIII. — Feminam huius speciei, adhuc ignotam, infra describam.

---

[1]) Cfr. Notas et descriptiones specierum novarum minusve cognitarum infra.

D. arundinacea (L.). Parum frequens videtur. Bisamberg, Lindkogel, Leithagebirge; inter 157 et 360 m. Mas: 7. V, feminae: 23. et 29. VI. — Doleschalii „*Dictyna benigna* Koch" (4. p. 636), quae prope Vindobonam in agris Solani tuberosi occurrere dicitur, certo ad maximam partem saltem non ad hanc speciem sed ad *D. uncinatam* pertinet. — Becker (19, v. 3, p. 220).

D. pusilla Thor. Neukogel, 3. VII. femina; Oberer Adlitzgraben, 5. VII adulti utriusque sexus sat frequentes; Semmering-Pass, 31. V mas. Inter 700 et 1030 m.

D. uncinata Thor. Vulgaris. Vindobona (area castrorum Leopoldi), Marchfeld, Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Donauauen, Laxenburg, Anninger, Neukogel, — Leithagebirge; inter 157 et 490 m; mares: 12. V — 3. VII, feminae: 12. V — 25. VIII.

Protadia E. Sim.

P. subnigra (Cambr.)[1]) Marchfeld, 16. VI. mas unicus.

Argenna Thor.

A. lucida (E. Sim.)*). Wiener Wald (Galizinberg — Leopoldsberg), mense Aprili femina unica.

Eresidae.

Eresus Walck.

E. niger (Petagna). Sat rarus: Bisamberg, Leopoldsberg, Anninger, Lindkogel, — Leithagebirge; inter 157 et 600 m. Mares: 13. VIII, feminae inde ab Aprili usque ad finem Augusti. — Exempla feminina a B. Kotula collecta omnia carent pube pallide coloratâ in cephalothorace et in mandibulis (Cfr. Araneae Hungariae, vol. I, pag. 153). — *Eresus Kollarii*, quem Fr. Rossi secundum exempla duo ad Aquas Pannonias (Baden) capta descripsit (3. p. 7), certo femina est *Eresi nigri*, pube dilute coloratâ ornata. Doleschal (4, p. 629) *Eresum nigrum* ut species duas distinctas profert (*E. cinnabarinus* W. et *E. Kollari* Rossi). Mares aliquot Austriacos T. Thorell ante oculos habuit (8, p. 421.). — Chyz. & Kulcz. (22, v. 1, p. 153).

Dysderidae.

Dysdera Latr.

D. Ninnii Can. Modice frequens: Leopoldsberg, Nussberg, Gaisberge, Anninger, Lindkogel, Neukogel, Oberer Adlitzgraben; inter 170

[1]) Cfr. Notas et descriptiones specierum novarum minusve cognitarum infra.

et 930 m. (usque ad 710 m. saltem). Mares: 20. VI, feminae inde ab Aprili usque ad finem Augusti. — Synonymum huius speciei parum dubium *Dysdera* est e vicinis Vindobonae, cephalothorace fortiter impresso punctato, quam Doblika *D. punctatam* C. L. Koch esse putavit (5. p. 123).

D. Hungarica Kulcz. Rara: Bisamberg, Kahlenberg, Wiener et Laaer Berg, Donauauen; inter 170 et 350 m.; quatuor modo feminae adultae, sub finem Aprilis et 12. V. captae. Exempla haec parva, cephalothorace 2·8—3·0 mm. longo, praeter colorem paullo pallidiorem nullâ re ab exemplis Hungaricis differre videntur. Marem non vidi, quod sane dolendum, quoniam feminae Dysderarum difficilius inter se distinguuntur.

Harpactes Templ.

H. rubicundus (C. L. Koch). Vulgaris: Bisamberg, Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Galizinberg, Wiener et Laaer Berg, Donauauen, Gaisberge, Anninger, Lindkogel. — Leithagebirge; a 170 usque ad 420 m. saltem. Adulti utriusque sexus a fine Aprilis usque ad finem Septembris. — *Dysdera erythrina* Doleschalii (4, p. 626), quae nusquam rara dicitur, certo pro parte saltem ad hanc speciem pertinet. Doblika (5, p. 117) sub *D. erythrina* suâ sine dubio complures species confudit.

H. Hombergii (Scop.). Leopoldsberg, Nussberg, Gaisberge, Anninger, Baden; inter 170 et 400 m. Mares: 1. V—30. IX, feminae: 15. V—11. VIII. — Doleschal (4, p. 626). Doblika (5, p. 120): *Dysdera Hombergii*.

H. lepidus (C. L. Koch). Rarus. Leopoldsberg, Lindkogel, Neukogel; feminae duae (3. VII. et 30. IX) et pullus; marem adultum unicum invenit B. Kotula „in vicinis Vindobonae“ anno 1889.

Segestria Latr.

S. bavarica C. L. Koch. Rara: Wiener et Laaer Berg, Gaisberge, Anninger; inter 160 et 380 m. Feminae: 1. V—29. VIII.

S. senoculata (L.). Sat frequens: Leopoldsberg, Wiener et Laaer Berg, Gaisberge, Lindkogel, Neukogel, Oberer Adlitzgraben; inter 160 et 930 m. Mares: 15. V—30. IX, feminae: IV—30. IX. — Doleschal (4, p. 625).

Quod apud cel. E. Simonium in Aranéides nouveaux ou peu connus du Midi de l'Europe, pag. 345, nota, legimus: *Dysderam (Ariadnam) spinipedem* Luc. usque ad Vindobonam diffusam esse, mendum

est probabiliter typographicum („Italie jusqu'à Vienne“ pro „I. jusqu'à Venise“ ?).

Drassidae.

Drassodes Westr.

D. lapidicola (Walck.). Communis. Marchfeld, Bisamberg, Leopoldsberg, Nussberg, Galizinberg, Wiener et Laaer Berg, Gaisberge, Anninger, Neukogel, Raxalpe, Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass,— Leithagebirge. Mares (prope Vindobonam): 7. V—3. VII, feminae: 7. V—29. VIII. — Doleschal (4, p. 627): *Drassus lapidicola.*

D. lapidicola var. macer (Thor.). Rarior quam forma typica: Bisamberg, Leopoldsberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Anninger,— Leithagebirge; inter 160 et 400 m. Mares: 7. V—26. VI, feminae: 20. VI—15. VIII. — Exemplorum Austriacorum Rev. O. Pickard Cambridge mentionem fecit (24, p. 100).

D. pubescens (Thor.). Non frequens: Kahlenberg, Anninger, Lindkogel, Neukogel, Semmering-Pass,— Leithagebirge; inter 170 et 1030 m. Mares: 12. V—3. VII, feminae: 23. VI—13. VIII.

D. troglodytes (C. L. Koch). Modice frequens: Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Galizinberg, Laaer Berg, Wiener Berg, Gaisberge, Anninger, Lindkogel,— Leithagebirge; inter 157 et 709 m. Mares: 12. V—9. VI, feminae: 4. VI—29. VI.

D. minusculus (L. Koch). Rarus: Nussberg, Wiener et Laaer Berg; inter 170 et 256 m. Mares: 1. VI—15. VI, feminae: 4. VI—15. VI.

D. silvestris (Blackw.). Leithagebirge, inter 157 et 265 m., 29. VI. mas unicus.

Echemus E. Sim.

E. Rhenanus Bertk. Rarus: Wiener Wald (Galizinberg-Leopoldsberg), Gaisberge, Anninger; inter 200 et 400 m. Femina adulta unica in monte Anninger 9. VI. capta est. — Chyz. & Kulcz. (22, v. 2, p. 209).

Phaeocedus E. Sim.

Ph. braccatus (L. Koch). Rarissimus: Anninger, inter 200 et 280 m., 26. VI. exemplum unicum non adultum.

Scotophaeus E. Sim.

S. loricatus (L. Koch). Wiener et Laaer Berg, Gaisberge, inter 200 et 400 m., 1. V et 13. V exempla duo non adulta.

S. scutulatus (L. Koch). Bisamberg, Donauauen, Wiener et Laaer Berg, Wiener Wald. Mense Aprili et 1. VII feminae adultae.

S. Blackwallii (Thor.). Wiener et Laaer Berg, 1. VII. mas unicus. Donauauen, mense Aprili femina iuvenis probabiliter huius speciei (nescio eam distinguere a *Sc. quadripunctato* (L.)[1]).

Drassi a Doleschalio: *fuscus* Sund. *(tibialis* Hahn) et *rubens* Walk. *(montanus* Hahn, *cinereus* Hahn, *murinus* Hahn) nominati (4. p. 627) species sunt omnino dubiae.

Drassus cephalotes Doleschalii, cuius pars cephalica elevatissima, oculi laterales tuberculis innati, mandibulae basi fortiter convexae describuntur, certo non est „*Drassus*" sed species fortasse quaedam generis *Coelotae* (?).

Poecilochroa Westr.

P. conspicua (L. Koch). Non frequens. Anninger, Lindkogel, — Leithagebirge; usque ad 400 m. saltem; 23. VI mares, 9. VI. femina adulta.

Prosthesima L. Koch.

P. subterranea (C. L. Koch). Leopoldsberg, 11. VIII ♀, Neukogel, inter 490 et 870, 13. VII. feminae. Gahns.

P. apricorum (L. Koch)?, Kulcz.: Symb. ad faun. arachn. Tirol. & Araneae Hungariae. Lindkogel, inter 380 et 709 m., 23. VI. ♀.— Leithagebirge (Hungaria), inter 170 et 250 m., 29 VI. ♀.

P. serotina (L. Koch). Leopoldsberg, Anninger; inter 200 et 365 m.; 20. et 26. VI. feminae.

P. petrensis (C. L. Koch). Gaisberge, Anninger, Lindkogel, — Leithagebirge; inter 157 et 709 m.; feminae: 1. V—29. VIII, mares 23. VI—29. VIII.

P. Latreillei E. Sim. Feminae duae: altera prope Vindobonam, altera in montibus Leithagebirge dictis (in Hungaria) capta.

* *P. erebea* (Thor.) Speciem hanc cel. T. Thorell secundum exemplum Austriacum descripsit (8. p. 198).

P. pilipes n. sp. Bisamberg, 7. V. mares adulti tres.

P. collina n. sp. Galizinberg, sub finem Aprilis, infra 400 m. femina unica.

P. electa (C. L. Koch). Bisamberg, Donauauen, Wiener et Laaerberg, Gaisberge, Anninger, Baden: inter 160 et 300 m.; mense Aprili mas adultus, 7. V et sub finem Iulii feminae; non frequens. — Thorell (8. p. 430).

P. praefica (L. Koch). Laaer Berg, Leopoldsberg, Anninger; inter 160 et 423 m.; 4. VI—29. VI. feminae.

---

[1]) Cfr Annotationes.

P. pusilla (C. L. Koch). Nussberg, Wiener et Laaer Berg, — Leithagebirge (Hungaria); inter 157 et 265 m.; 3. V et 13. V et 15. V mares.

P. pumila (C. L. Koch).[1]) Bisamberg, Anninger (inter 200 et 280 m.), Baden; 7. V, 20. VI, sub finem Iulii feminae.

P. villica Thor.? (*P. accepta* O. Herm.). Leopoldsberg, Galizinberg; inter 180 et 432 m.; mares sub finem Aprilis et 15. V, feminae: 15. V—11. VIII. — *Pr. villica*, quam cel. T. Thorell secundum exemplum verisimiliter in Austria captum descripsit (14, p. 108), eadem esse videtur atque *Pr. accepta* O. Hermanii.

Pr. declinans Kulcz. Leopoldsberg, 20. VI. mas et femina: Anninger, inter 200 et 280 m., 26. VI. femina.

Quamquam ambae a Doleschalio prolatae (4. p. 627) *Prosthesimae* Austriacae: *Melanophora subterranea* Koch et *M. atra* Koch (=*Latreillei* E. Sim.) re vera in vicinis Vindobonae occurrunt, parum verisimile est, eum species has bene distinxisse et rectis nominibus appellasse. „*Melanophora atra*“ prope Vindobonam vulgaris certo non est.

Gnaphosa Latr.

G. bicolor (Hahn). Leopoldsberg, Anninger; inter 180 et 423 m.; 6. VI et 9. VI. feminae adultae.

G. badia (L. Koch). Raxalpe.

G. lucifuga (Walck.). Frequens. Bisamberg, Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Gaisberge, Anninger, — Leithagebirge; inter 170 et 400 m.; mares: 1. V—26. VI, feminae: 15. V—VIII. — Doleschal (4, p. 627): *Drassus lucifugus*.

G. lugubris (C. L. Koch). Sat frequens: Leopoldsberg, Gaisberge, Anninger; inter 200 et 400 m.; mares: sub finem Iunii, feminae: sub finem Aprilis usque ad finem Iunii.

G. opaca O. Herm. Sat frequens: Bisamberg, Leopoldsberg, Anninger; inter 200 et 400 m.; mares et feminae: 7. V—26. VI.

Pythonissa C. L. Koch.

P. cinerea (Menge). Non frequens: Gaisberge, Anninger, Lindkogel, — Leithagebirge; inter 170 et 400 m. saltem; 9. VI. femina adulta.

Callilepis Westr.

C. nocturna (L.). Modice frequens: Bisamberg, Leopoldsberg, Nussberg. Anninger, Baden, Semmering-Pass; inter 170 et 1030 m. (usque ad 920 m. saltem); mares: 7—15. V, feminae: 15. V—5. VII.

---

[1]) Cfr. Adnotationes.

C. Schuszteri (O. Herm.). Modice frequens: Leopoldsberg, Anninger, Baden, Lindkogel; usque ad 400 m. saltem; mares: 15. V—16. VI, feminae: 15. V—13. VIII.

Zodariidae.

Zodarium Walck.

Z. germanicum (C. L. Koch). Leopoldsberg, Gaisberge, Anninger, Lindkogel, — Leithagebirge, inter 157 et 400 m. saltem; mares 6. VI—26. VI, feminae: 6. VI.—29. VIII. — Simon (13, v. 1, p. 246): Austria.

Pholcidae.

Pholcus Walck.

Ph. opilionoides (Schrank). Frequens, Bisamberg, Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Schönbrunn (in tepidariis horti), Inzersdorf, Gaisberge, Anninger, — Leithagebirge; inter 170 et 400 m.; mares: IV—VII, feminae: 3. V—29. VIII. — Schrank (1. p. 530): *Aranea opilionoides*. Doleschalii „*Pholcus phalangioides* W." (4, p. 633), qui in vicinis Vindobonae vulgaris dicitur, certo non est verus *Ph. phalangioides* (Fuessl.) sed *Ph. opilionoides* (Schrank). — Thorell (8, p. 150).

Theridiidae.

Episinus Latr.

E. truncatus Latr. Rarus: Baden, sub finem Iulii 1886 feminae adultae quatuor. (Kulczyński 21, p. 308 & Auszug p. 6).

E. lugubris E. Sim. Modice frequens: Bisamberg, Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Donauauen, Anninger, Baden, Lindkogel, Neukogel; inter 160 et 500 m. saltem; mares: 26. VI—13. VIII, feminae: 18. V—13. VIII. — Doleschalii *Episinus truncatus* (4, p. 635), prope Baden et in monte Bisamberg captus, probabiliter non verus *truncatus* Latr. est sed *E. lugubris* E. Sim.

Euryopis Menge.

E. dentigera E. Sim. Valde rara: Nussberg, 170—180 m., mense Aprili femina subadulta, 15. V. femina adulta. — Non novi, eheu, marem, quem solum cel. E. Simon subtilius descripsit.

E. Zimmermannii L. Koch. Laaerberg, 200—256 m., 4. VI. femina unica.

Theridium Walck.

Th. suaveolens E. Sim. Rarissimum. Lindkogel, supra 400. m., 23. VI. femina unica.

Th. bimaculatum (L.). Modice frequens. Marchfeld, Gaisberge, Anninger, Lindkogel, Neukogel, Oberer Adlitzgraben; inter 157 et 930 m. (usque ad 710 m. saltem); mas. 9. VI, feminae: 16. VI—29. VIII.

Th. lineatum (Clerck). Vulgare: Marchfeld, Donauauen. . . . Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass; — Leithagebirge; 157—1030 m.; mares: 23. VI—13. VIII, feminae: 28. VI—29. VIII. — Doleschal (4. p. 636) speciem hanc ut duas distinctas protulit: *Th. lineatum* Walck. et *redimitum* Koch.

Th. lepidum (Walck.). Oberer Adlitzgraben, inter 710 et 930 m., 5. VII. mares et feminae. — Occurrit teste cel. L. Beckerio (19, v. 2, p. 85) in vicinis Vindobonae.

Th. sisyphium (Clerck). Insigniter rarius quam *Th. impressum*. Anninger, Lindkogel, Neukogel, Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass; inter 210 et 1030 m.; 23. VI—5. VII mares et feminae.

Th. impressum L. Koch. Frequens. Marchfeld, Kahlenberg, Gersthof, Wiener et Laaer Berg, Donauauen, Laxenburg, Gaisberge, Anninger, Lindkogel, Neukogel, — Leithagebirge; inter 157 et 500 m.; mares 26. et 29. VI, feminae: 26. VI—13. VIII. Huius speciei, neque *Theridii sisyphii* (Clerck), synonymum mihi videtur *Theridion nervosum* Hahnii (Die Arachniden, vol. II, fig. 133) non dubium et *Theridion nervosum* Doleschalii (4, p. 636) synonymum probabile saltem.

Th. nigrovariegatum E. Sim. Reliquis fere omnibus *Theridiis* hoc passim saltem frequentius videtur! Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Donauauen (1 exemplum), Gaisberge, Anninger, Lindkogel, — Leithagebirge; inter 157 et 700 m. (usque ad 400 m. saltem); mares: 4. VI—29. VI, feminae: 6. VI—29. VIII.

Th. pinastri L. Koch. Wiener et Laaer Berg, Donauauen, Jennyberg, Lindkogel, Neukogel; inter 160 et 709 m. (usque ad 500 m. saltem); mas. 23. VI, feminae: 1. VII—13. VIII.

Th. varians Hahn. Marchfeld, Bisamberg, Leopoldsberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Donauauen, Laxenburg, Gaisberge, Anninger, Lindkogel, Neukogel, Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass, — Leithagebirge; inter 160 et 1030 m. (usque ad 920 m. saltem); mares 18 V—11. VII, feminae: 21. V—25. VIII.

Th. pictum (Walck.). Marchfeld, Donauauen; 170—180 m.; 16. VI mares et feminae, 25. VIII fem. — Doleschal (4, p. 635).

Th. tinctum (Walck.). Frequens; Marchfeld, Bisamberg, Leopoldsberg, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Donauauen, Anninger, Lindkogel, Neukogel, Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass; inter 160 et 1030 m.; mares: 31. V—23. VI, feminae: 4. VI—5. VII.

Th. denticulatum (Walck.). Sat frequens. Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Donauauen, Gaisberge, Anninger, Baden, Neukogel; inter 170 et 720 m. (usque ad 500 m. saltem); mares: 15. V—3. VII, feminae: 12. V—11. VIII.

Th. simile C. L. Koch. Anninger, — Leithagebirge; 157—400 m.; 9. VI—26. VI feminae.

Th. umbraticum L. Koch. Semmering-Pass, 915—1030 m., 31. V mares et feminae.

Th. riparium Blackw. Wiener et Laaer Berg, Neukogel; 200—450 m., sub finem Iunii mares, 3. VII feminae.

Th. formosum (Clerck). Valde frequens. Marchfeld, Leopoldsberg, Nussberg, Gersthof, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Donauauen, Laxenburg, Gaisberge, Anninger, Lindkogel, — Leithagebirge; inter 160 et 700 m. (usque ad 400 m. saltem); mares: 6. VI—26. VI, feminae: 6. VI—25. VIII. — Doleschal (4, p. 636): *Theridion sisyphum* W.

Th. simulans Thor. Marchfeld, Donauauen; 160—180 m.; 16. VI mas et femina, 11. VII femina.

Th. tepidariorum C. L. Koch. Schönbrunn, in aedificiis horti botanici, initio Iunii mares et feminae.

Th. vittatum C. L. Koch. Rarum. Vindobona (area castrorum Leopoldi). Nussberg, Donauauen, Laxenburg; 170—180 m.; 15. V et 21. V mares, 21. V et 6. VI feminae.

Theridion Kollari, nimis breviter a Doleschalio descriptum, species dubia est (4, p. 636).

Dipoena Thor.

D. melanogaster (C. L. Koch). Sat frequens. Bisamberg, Leopoldsberg, Anninger, Lindkogel, Neukogel, — Leithagebirge; inter 157 et 709 m. (usque ad 500 saltem); mares 23. et 26. VI, feminae: 6. VI—3. VII.

D. braccata (C. L. Koch). Sat frequens. Leopoldsberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Anninger, — Leithagebirge; inter 157 et 400 m.; mares et feminae 15. V—26. VI.

D. erythropus (E. Sim.)?, Kulcz. in Aran. Hung. Leopoldsberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Anninger; inter 170 et 423 m.; mares et feminae sub finem Iunii. — Chyz. & Kulcz. (22, v. 2, p. 23).

**D. torva* (Thor.). Speciem hanc cel. T. Thorell secundum exemplum probabiliter in Austria captum descripsit (14, p. 58: *Steatoda torva*).

D. nigrina (E. Sim.). Rarissima: Jennyberg, inter 200 et 280 m., 13. VIII mas unicus.

Crustulina Menge.

**C. rugosa* (Thor.). Exemplum typicum huius speciei in Austria inventum videtur (14, p. 57. *Steatoda rugosa).*

Steatoda Sund.

S. bipunctata (L.). Vulgaris. Leopoldsberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg (in suburbiis), Inzersdorf, Prater, Gaisberge, Anninger, Lindkogel, Oberer Adlitzgraben; inter 160 et 930 m.; mares et feminae sub finem Aprilis usque ad 9. IX. — Schrank (1, p. 527): *Aranea bipunctata.* ? „*Theridion quadripunctatum* Koch" Doleschal (4, p. 636). Becker (19, v. 2, p. 111).

Teutana E. Sim.

T. castanea (Clerck). Vulgaris videtur. Kahlenberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Laxenburg, Anninger, — Leithagebirge; inter 160 et 400 m.; feminae: 12. V—9. IX.

T. grossa (C. L. Koch). Schönbrunn, in aedificiis horti botanici, initio Iunii mares et feminae. — ?? Schrank (1, p. 528): *Aranea nocturna.*

**T. triangulosa* (Walck.). Occurrit teste Doleschalio in vicinis Vindobonae (4, p. 636: *Theridion triangulifer* „Koch").

Lithyphantes Thor.

L. corollatus (L.). Marem unicum a. 1889 in vicinis Vindobonae invenit B. Kotula. — Hanc speciem Doleschal *Th. albomaculatum* Walck. (!) appellavisse videtur (4, p. 636).

Asagena Sund.

A. phalerata (Panz.). Non rara. Marchfeld, Kahlenberg, Leopoldsberg, Galizinberg, Wiener et Laaer Berg, Donauauen, Laxenburg, Gaisberge, Anninger, Neukogel; inter 170 et 700 m. (usque ad 500 m. saltem); mares: 12. V—6. VI, feminae sub finem IV et usque ad 3. VII.

Enoplognatha Pav.

E. corollata (Bertk.). Gaisberge, 250—400 m.; 10. V femina adulta.

E. thoracica (Hahn). Modice frequens. Leopoldsberg, Galizinberg, Wiener et Laaer Berg, Gaisberge, Anninger, — Leithagebirge; inter 170 et 700 m. (usque ad 500 m. saltem); feminae: 4. VI—3. VII.

Pedanostethus E. Sim.

P. lividus (Blackw.). Donauauen, Laxenburg, 21. V. mas et feminae; Raxalpe, mense Iulio, mas.

P. Clarkii (Cambr.). Inzersdorf, ca. 190., 28. VI. mas.

Argiopidae.

Linyphiinae.

Cnephalocotes E. Sim.

C. laesus (L. Koch)[1]). Franz Joseph-Land, Wiener et Laaer Berg, 200—256 m., sub finem Iunii mas adultus (praeterea „in vicinis Vindobonae" locis non indicatis collecta sunt exempla mascula et feminina sat multa).

Troxochrus E. Sim.

T. scabriculus (Westr.). Donauauen, Inzersdorf, Wiener et Laaer Berg; 160—256 m.; mense Aprili et 8. IX mares et feminae.

Diplocephalus Bertk.

D. cristatus (Blackw.). Leopoldsberg, inter 200 et 400 m., 15. V. femina unica.

D. connectens Kulcz. Oberer Adlitzgraben, inter 710 et 930 m., mas et feminae duae, 5. VII.

D. humilis (Blackw.). Leithagebirge, inter 157 et 265 m., 29. VI. femina unica.

D. Helleri (L. Koch). Semmering-Pass, 915—1030 m., 31. V. femina unica.

D. latifrons (Cambr.). Semmering-Pass, 915—1030 m., 31. V. femina una; Raxalpe, ♀.

D. picinus (Blackw.). Laxenburg, ca. 180 m., 21. V. mares et feminae sat multae.

Tapinocyba E. Sim.

T. antepenultima (Cambr.). In vicinis Vindobonae, mas unicus.

---

[1]) Cfr. Adnotationes.

Caracladus E. Sim.

C. globipes (L. Koch). Wiener et Laaer Berg, 160—200 m., 15. VIII. femina una; mense Aprili in vicinis Vindobonae mas et femina.

Moebelia Dahl.

M. penicillata (Westr.). Wiener Wald inter Galizinberg et Leopoldsberg, mense Aprili mas unus.

Styloctetor E. Sim.

S. romanus (Cambr.). Gaisberge, inter 250 et 400 m., 1. V. mares duo ab exemplo in Hungariâ capto (conf. Aran. Hungar. vol. II, p. 96) nullâ re distincti.

S.? austriacus n. sp. In vicinis Vindobonae, mas et feminae paucae.

Entelecara E. Sim.

E. acuminata (Wider). Frequens: Marchfeld, Leopoldsberg, Wiener et Laaer Berg, Donauauen, Laxenburg, Anninger, Neukogel, Lindkogel, — Leithagebirge; 160—490 m.; mares: 6. VI—16. VI, feminae: 21. V—11. VII.

E. congenera (Cambr.). Semmering-Pass, 915—1030 m., 31. V. mares duo; ? Oberer Adlitzgraben, 710—930 m., 5. VII feminae duae.

? E. erythropus (Westr.). Anninger, Neukogel; inter 200 et 700 m., 26. VI et 3. VII feminae solae, quas a feminis *E. congenerae* certo distinguere nescio!.

Dicymbium Menge.

D. nigrum (Blackw.). Wiener Wald inter Galizinberg et Leopoldsberg, Inzersdorf 8. IX mas. et fem., Donauauen, Oberer Adlitzgraben 5. VII. mas; inter 160 et 930 m. — Femina ad Laxenburg 21. V capta fortasse ad *D. tibiale* (Blackw.) pertinet.

Lophomma Menge.

L. laudatum (Cambr.). Inzersdorf, ca. 190 m., 28. VI. mas unicus.

Walckenaëra Blackw.

W. furcillata (Menge). Wiener Wald inter Galizinberg et Leopoldsberg, mense Aprili femina; Lindkogel, inter 250 et 360 m., 26. VI. mas.

W. capito (Westr.). Galizinberg, Laaer Berg, Gaisberge; inter 200 et 400 m.; feminae ab Aprili usque ad 4. VI.

W. antica (Wider). Wiener Wald inter Galizinberg et Leopoldsberg, Wiener & Laaer Berg; mense Aprili feminae adultae.

W. melanocephala (Cambr.). Wiener et Laaer Berg, Gaisberge; inter 180 et 300 m.; feminae adultae 10. V et initio Iulii.

W. unicornis (Cambr.). Marchfeld, Donauauen; 160—180 m.; feminae sub finem Aprilis et 16. VI.

W. vigilax (Blackw.). Laaer Berg, 200—250 m., 4. VI. femina.

Gonatium Menge.

G. isabellinum (C. L. Koch). Semmering-Pass, 915—1030 m., 31. V. femina.

G. corallipes (Cambr.). Gaisberge, Semmering-Pass, — Leithagebirge; 157—1030 m.; 29. VIII mares; feminae: 31. V—29. VIII.

Hypomma Dahl.

H. bituberculatum (Wider). Marchfeld, Donauauen; 160—180 m.; 18. V et 16. VI. mares, 16. VI. feminae.

Dicyphus Menge.

D. cornutus (Blackw.). Marchfeld, Donauauen, Wiener et Laaer Berg, Kahlenberg, Laxenburg; 180—350 m.; mares: 18. V—8. VI, feminae: 18. V—25. VIII.

Dismodicus E. Sim.

? *D. bifrons* (Blackw.). Marchfeld, Inzersdorf, Neukogel; feminae solae!; 180—490 m; 16. VI—8. IX.

? *D. elevatus* (C. L. Koch). Marchfeld, ca. 180 m.; 16. VI. feminae duae.

Trichoncus E. Sim.

T. scrofa E. Sim.[1]) Gaisberge, Anninger, Lindkogel, Neukogel; inter 210 et 700 m. (usque ad 500 m. saltem); mares: 1. V, feminae: 1. V—29. VIII.

T. saxicola (Cambr.). Gaisberge, 250—400 m., 10. V. femina una.

Gongylidium Menge.

G. rufipes (L.). Frequens. Kahlenberg, Leopoldsberg, Donauauen, Laxenburg, Anninger; inter 160 et 400 m.; mares: 12. V—11. VII, feminae 12. V—25. VIII; mense Aprili capta est femina adulta unica, evidenter aetate confecta.

---

[1]) Cfr. Adnotationes.

Kulczyńskiellum F. Cambr.

K. apicatum (Blackw.). Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf; inter 190 et 256 m.; 15. VI. mas, 28. VI. femina.

K. retusum (Westr.). Donauauen, ca. 160 m., 11. VII. femina.

K. agreste (Blackw.). Kahlenberg, Leopoldsberg; 200—400 m.; 12. et 15. V. mares et feminae.

Trematocephalus Dahl.

T. cristatus (Wider). Lindkogel, 250—360 m., 23. VI. femina.

Erigone Sav.

E. dentipalpis (Wider). Vindobona (Castra Leopoldi), Wiener Wald (Galizinberg — Leopoldsberg), Wiener et Laaer Berg, Donauauen, Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass; 160—1030 m.; mares et feminae sub finem Aprilis et usque ad 25. VIII. — Becker (19, v. 3, p. 95).

E. atra (Blackw.). Vindobona (area Castrorum Leopoldi), Donauauen, Inzersdorf, — Leithagebirge; inter 160 et 265 m.; mas mense Aprili, feminae: 29. VI—8. IX.

Micryphantes rubripes C. L. Koch (sive *Erigone graminicola* (Sund.)), quem Doleschal e vicinis Vindobonae profert (4, p. 636), dubia mihi videtur species; ipse saltem exemplum Austriacum *Erigonae graminicolae* non vidi.

Minicia Thor.

M. marginella (Wider). Gaisberge, Lindkogel, — Leithagebirge; inter 157 et 709 m.; feminae: 23. VI—29. VIII.

Maso E. Sim.

M. Sundevallii (Westr.). Leithagebirge, 157—256 m., 29. VI mas et femina.

Nematogmus E. Sim.

N. sanguinolentus (Walck.). Bisamberg, 7. V. femina.

Donacochara E. Sim.

D. speciosa (Thor.). Prater: in culmis *Phragmitis communis* a larvis *Hadenae* cuiusdam abrosis, 25. VIII. mares et feminae sat multae; Inzersdorf, 11. IX. feminae; 170—180 m.

Hylyphantes E. Sim.

H. nigritus (E. Sim.). Lindkogel, — Leithagebirge (pro parte saltem in Hungaria); 157—360 m.; mares 29. VI, feminae: 23 et 29. VI.

Centromerus Dahl.

C. bicolor (Blackw.). Inzersdorf, ca. 180 m., 8. IX. femina.

C. silvaticus (Blackw.). Kahlenberg, Donauauen; 160—350 m.; mense Aprili et 12. V. feminae.

C. silvicola (Kulcz.). Gaisberge, inter 250 et 400 m., 1. V. femina unica.

C. incilium (L. Koch). Semmering-Pass, 915—1030 m., 31. V. feminae duae.

C. vindobonensis n. sp. Wiener Wald (Galizinberg — Leopoldsberg), Laxenburg, mense IV. et 12. V. feminae adultae.

Syedra E. Sim.

S. gracilis (Menge). In vicinis Vindobonae mense Aprili captum est par unum.

Porrhomma E. Sim.

P. pygmaeum (Blackw.). Lindkogel, inter 380 et 709 m., 23. VI. femina.

Microneta Menge.

M. viaria (Blackw.). Galizinberg, Inzersdorf, Donauauen, Gaisberge, Raxalpe; usque ad 600 m. saltem; mense Aprili mares et feminae, 28. VI feminae.

Micryphantes C. L. Koch.

M. equester (L. Koch?)[1]) Anninger, 300—365 m., 26. VI. mas unicus.

M. fuscipalpis C. L. Koch?, Kulcz. Frequens: Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Donauauen, Gaisberge; inter 160 et 400 m.; mares mense Aprili et usque ad 1. VII, feminae usque ad 25. VIII.

M. rurestris C. L. Koch. Vulgaris. Vindobona (Castra Leopoldi), Marchfeld, Donauauen . . . Semmering-Pass, Raxalpe; inde ab Aprili usque ad finem Septembris adulti mares et feminae.

Sintula E. Sim.

S. aërius (Cambr.).[1]) Laaer Berg, 200—256 m., 4. VI. femina una.

S. simplex n. sp. Kahlenberg, Leopoldsberg, Galizinberg, Wiener et Laaer Berg; 180—400 m.; adulti mense Aprili, mares usque ad 12. V, feminae usque ad 11. VIII. Non frequens.

S. affinis n. sp.? Leopoldsberg, Laxenburg; inter 180 et 400 m.; feminae 15. V. et 21. V.

---

[1]) Cfr. Adnotationes.

S. montanus n. sp.? Oberer Adlitzgraben, 710—930 m., 5. VII. feminae duae.

Bathyphantes Menge.

B. concolor (Wider). Vulgaris. Kahlenberg, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Donauauen, Laxenburg, Semmering-Pass; inter 160 et 1030 m. (usque ad 930 m. saltem); adulti ab Aprili usque ad finem Augusti.

B. dorsalis (Wider). Marchfeld, ca. 180 m., 16. VI. femina.

B. nigrinus (Westr.). Donauauen, Laxenburg (hic sat frequens); ca. 160—180 m.; mares 21. V.—11. VII, feminae 21. V—25. VIII.

B. gracilis (Blackw.). Laaer Berg, 200—256 m., 4. VI. femina.

B. mastodon E. Sim. (*B. cyaneonitens* Kulcz.)[1]). Bisamberg, Anninger; inter 210 et 400 m.; 7. V et 9. VI. mares adulti, 25. IV. femina subadulta.

Lephthyphantes Menge.

L. collinus (L. Koch). Leopoldsberg, Gaisberge; inter 200 et 423 m.; Gahns; 11. VIII—30. IX. mares et feminae.

L. nebulosus (Sund.). Wiener et Laaer Berg, 160—210 m., 1. VII. femina, 15. VIII. mas et feminae.

L. leprosus (Ohl.). Leopoldsberg, Inzersdorf, Gaisberge, Anninger; 180—423 m.; mares: 6. VI—30. IX, feminae: 15. V—30. IX.

L. alacris (Blackw.). Semmering-Pass, 915—1030 m., 31. V femina adulta, mas subadultus.

L. geniculatus n. sp. Mas unicus in vicinis Vindobonae captus est.

L. angulipalpis (Westr.). Gaisberge, 250—400 m., 1. V. femina una.

L. pallidus (Cambr.). Gaisberge, 250—400 m., 1. V. femina una.

L. mansuetus (Thor.) (*L. bidens* E. Sim.). Galizinberg, Leopoldsberg, Gaisberge, Anninger; inter 200 et 400 m.; mas 30. IX, feminae IV—30. IX.

L. arciger (Kulcz.). Semmering-Pass, 915—1030 m., 5. VII. femina.

L. cristatus (Menge). Wiener Wald (Galizinberg — Leopoldsberg), sub finem Aprilis femina; Semmering-Pass, 915—1030 m., 31. V. et 5. VII. feminae.

L. tenebricola (Wider). Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass, 710—1030 m., 31. V. et 5. VII. mares et feminae.

L. tenuis (Blackw.) (*L. tenebricola* E. Sim.). Donauauen, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf; 160—256 m.; mares 28. VI, feminae: IV—8. IX.

---

[1]) Cfr. Adnotationes.

L. Mengei Kulcz. Kahlenberg, Leopoldsberg, Inzersdorf, Laxenburg, Gaisberge, Neukogel, Oberer Adlitzgraben; inter 180 et 930 m.; feminae: IV.—29. VIII, mares: 3. VII—29. VIII.

L. flavipes (Blackw.). Leopoldsberg, Donauauen, Anninger, — Leithagebirge; 157—400 m.; mares et feminae: IV—30. IX.

L. nanus n. sp. Anninger, inter 200 et 280 m., 26. VI. femina unica.

L. obscurus (Blackw.). Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass, 710—1030 m., 5. VII. feminae adult.

L. quadrimaculatus n. sp. Wiener Wald (Galizinberg — Leopoldsberg), mense Aprili mas unicus.

L. montanus n. sp. Semmering-Pass, 915—1030 m., 31. V. mas.

L. Keyserlingii (Auss.). Bisamberg, Leopoldsberg, Anninger, — Leithagebirge; inter 157 et 423 m.; feminae: IV.— 11. VIII, mares: 7. V.

Drapetisca Menge.

D. socialis (Sund.). Gersthof, Raxalpe.

Linyphia Latr.

L. phrygiana C. L. Koch. Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass; 710—1030 m.; 31. V. et 5. VII. feminae.

L. montana (Clerck). Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Laxenburg; 180—256 m.; mense Maio feminae.

L. triangularis (Clerck). Vulgaris: Marchfeld, Donauauen, ... Semmering-Pass, — Leithagebirge; adulti mares et feminae: 11. VIII—9. IX. — Doleschal (4, p. 635): *L. montana* Walck.

L. emphana Walck. Lindkogel, inter 380 et 709 m., 23. VI. exempla non adulta.

L. marginata C. L. Koch. Anninger, Lindkogel, Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass; inter 210 et 1030 m. (usque ad 920 m. saltem); mares: 9. VI—5. VII, feminae: 31. V—5. VII. — Doleschal (4, p. 635): *L. triangularis* Walck.

L. peltata Wider. Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass; 710—1030 m.; 31. V. mares et feminae, 5. VII. feminae.

L. frutetorum C. L. Koch. Leopoldsberg, Anninger, Lindkogel, Neukogel; 200—490 m.; mares 23. VI, feminae 9. VI—3. VII. — Doleschal (4, p. 635).

L. hortensis Sund. Kahlenberg, Leopoldsberg (abunde, 200—400 m.), Galizinberg, Gaisberge, Anninger, Lindkogel; inter 180 et 709 m.; mares 12. V, feminae: 15. V—23. VI.

L. pusilla Sund. Donauauen, Wiener et Laaer Berg, Gaisberge, Neukogel, Semmering-Pass; 160—1030 m.; 31. V—3. VII. feminae.— Lebert (17, p. 152): Austria (num inferior?).

L. clathrata Sund. Marchfeld, Donauauen, Kahlenberg, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Laxenburg, Gaisberge; 160—350 m.; 18. V—16. VI. feminae, 21. V. mares. — Lebert (17, p. 149): Austria (num inferior ?).

L. furtiva Cambr. Rara: Neukogel, 440—500 (700?) m., 3. VII. mares et feminae.

Stemonyphantes Menge.

S. bucculentus (Clerck). (*Linyphia lineata* E. Sim.). Frequens: Brigitten-Wald, Donauauen, Galizinberg, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Gaisberge, Anninger; inter 160 et 400 m.; mares: IV, feminae: IV.—29. VIII. — ? Doleschal (4, p. 636): *Theridion reticulatum* Walck.(!).

Bolyphantes C. L. Koch.

B. alticeps (Sund.). Neukogel, Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass, 700—1030 m., initio Iulii exempla subadulta.

B. index (Thor.). Semmering-Pass, 915—1030 m., 31. V. feminae adultae.

Floronia E. Sim.

F. frenata (Wider). Mas unicus in vicinis Vindobonae captus.

Tapinopa Westr.

T. longidens Westr. Donauauen, Gaisberge, Jenny-Berg, Oberer Adlitzgraben, — Leithagebirge; 157—930 m.; sub finem Augusti mares et feminae.

Tetragnathinae.

Pachygnatha Sund.

P. Clerckii Sund. Donauauen, ca. 160—170 m., feminae: IV—18. V. et 25. VIII. — Doleschal (4, p. 636): *P. maxillosa* Koch.

P. Listeri Sund. Donauauen, 18. V. feminae, 25. VIII. mares et feminae.

P. De Geerii Sund. Vulgaris: Marchfeld, Donauauen . . . . Oberer Adlitzgraben, — Leithagebirge; 160 usque ad 710 m. saltem; mares et feminae: IV—30. IX. (11. VII. exempla nuper adulta). — Doleschal (4, p. 636): *Pachygnatha vernalis* Koch (!); Becker (19, v. 2, p. 65).

Tetragnatha Latr.

T. extensa (L.). Donauauen, Neukogel, 170—490 m., mares: 3. VII, feminae: 3. VII—25. VIII. — ? Schrank (1. p. 528): *Aranea ex-*

tensa. ? Doleschal (4, p. 635): *T. extensa* Walck.; Becker (19, v. 2, p. 62).

T. pinicola L. Koch. Modice frequens. Marchfeld, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Inzersdorf, Donauauen, Anninger, Lindkogel, Neukogel; inter 180 et 700 m. (usque ad 500 m. saltem); mares: 15. VI—11. VII, feminae: 15. VI—11. IX.

T. nigrita Lendl. Rarissima: Franz Joseph-Land, mas; Wiener & Laaer Berg, exempl. non adultum.

T. Solandrii (Scop.). Bisamberg, Donauauen, Laxenburg, Neukogel; usque ad 500 m. saltem; 21. V. et 3. VII. feminae.

T. obtusa C. L. Koch. Gaisberge, Neukogel, 250—500 m., 3. VII. feminae adultae.

T. obtusa f. intermedia Kulcz. Prater, 18. V. femina. — ? Thorell (8. p. 464): *T. obtusa* C. Koch.

Meta C. L. Koch.

M. segmentata (Clerck). Vulgaris: Marchfeld, Donauauen . . . Semmering-Pass, Raxalpe; exempla adulta nostra pleraque ad formam: *M. Mengei* Blackw. pertinent. — ? Schrank (1. p. 527): *Aranea angulata*. Doleschal (4, p. 634): *Epeira inclinata* Walck.

M. Merianae (Scop.). Bisamberg, Leopoldsberg, Schönbrunn (in aedificiis horti), Baden; 1. VI. mares et feminae, sub finem Iulii feminae. — Becker (19, v. 2, p. 58).

M. Menardi (Latr.). Lindkogel, inter 380 et 700 m. pullus unicus. — Doleschal (4, p. 635): *Epeira fusca* Walck. Becker (19, v. 2, p. 60).

Nesticus Thor.

N. cellulanus (Clerck). Kahlenberg, 12. V. mas et exempla non adulta.

Argiopinae.

Argiopam Bruennichii (Scop.) cel. L. Becker certo ex imperio Austriaco accepisse se dicit (19, v. 2, p. 5).

Cyclosa Menge.

C. conica (Pall.). Frequens: Bisamberg, Donauauen, Kahlenberg, Leopoldsberg, Gersthof, Anninger, Lindkogel, Neukogel, Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass; 160—1030 m.; feminae: 7. V—5. VII, mares: 6. VI. et 23. VI. — Becker (19, v. 2, p. 7).

C. oculata (Walck.). Leopoldsberg, 6. VI. femina unica.

Mangora Cambr.

M. acalypha (Walck.). Marchfeld, Bisamberg, Leopoldsberg, Laaer Berg, Donauauen, Gaisberge, Anninger, Baden, Neukogel, Lindkogel, — Leithagebirge; usque ad 450 m. saltem; feminae: 4. VI—11. VII, mares: 16. VI—29. VI. — Doleschal (4, p. 634): *Epeira acalypha* Walck.

Epeira Walck.

E. angulata (Clerck). Marchfeld, Bisamberg, Leopoldsberg, Nussberg, Laaer Berg, Gaisberge, Anninger, — Leithagebirge; 157—400 m.; omnia exempla nostra non adulta. — Doleschal (4, p. 634).

* *E. grossa* C. L. Koch. Occurrit teste Doleschalio prope Vindobonam (4, p. 634).

* *E. Circe* Sav. Huic speciei subiungenda videtur *Epeira affinis* Dol. (4, p. 634) sive *Epeira austriaca* Thor. (8, p. 7), quae teste Doleschalio occurrit in vicinis Vindobonae et frequentius in vallibus Alpium humiliorum.

E. dromedaria (Walck.). Frequens Bisamberg, Kahlenberg, Leopoldsberg, Nussberg, Wiener et Laaer Berg, Gaisberge, Anninger, Lindkogel; inter 170 et 709 m. (usque ad 400 m. saltem); mares: 25. IV—6. VI, feminae: 7. V—26. VI.

E. omoeda Thor. Lindkogel, Oberer Adlitzgraben, Semmering-Pass, 700—1030 m., 31. V. et 5. VII. mares adulti.

E. gibbosa (Walck.). Wiener et Laaer Berg, Anninger, 200—280 m., exempla duo non adulta.

E. diademata (Clerck). Vulgaris: Vindobona, Donauauen, ... Raxalpe, Semmering-Pass; mares: 15. VIII—8. IX, feminae: 8. IX—30. IX. — Schrank (1. p. 526): *Aranea diadema*. Doleschal (4, p. 634): *Epeira diadema* Walck. + *E. cornuta* Walck. (*E. pulchra* Koch)?

Cephalothorax formâ simili atque in *Dictyna arundinacea* (L.), antice tamen fortius angustatus et parte cephalicâ melius a thoracicâ distinctâ, quum desuper adspicitur cephalothorax, in exemplis staturâ maiore saltem; latera partis thoracicae orbiculata fere, pars cephalica longa (longitudine $^3/_4$ latitudinis aequans saltem), lateribus in universum parallelis, leviter sigmoideis ita, ut a medio posteriora versus paullulum inter se appropinquentur. Etiam exempla staturâ parvâ differunt a *D. arundinaceâ* parte cephalicâ angustiore, latera partis cephalicae cum lateribus partis thoracicae in lineam tamen coniunguntur minus fortiter curvatam et pars cephalica brevior est quam in exemplis magnis. Dorsum partis cephalicae in longitudinem modice convexum, postice cum declivitate cephalothoracis posticâ in lineam confluit aut leviter modo concavam (in exemplis magnis) aut rectam (in parvis). Dense rugulosus est cephalothorax, non opacus tamen, sed modice nitens. *Oculi* parum inaequales, medii antici posticis et laterales antici posticis paullulum maiores videntur; series posterior directo desuper adspecta leviter recurvata, oculi medii inter se paullo longius quam diametro, a lateralibus circiter sescuplâ diametro remoti; series anterior recta, oculi medii inter se et a lateralibus spatiis subaequalibus, diametrum non aequantibus remoti; oculi laterales circiter dimidiâ diametro inter se distant; area oculorum mediorum antice paullo angustior quam postice, aeque circiter longa atque antice lata. Clypeus sub oculis mediis aeque saltem altus atque area horum oculorum longa, sub lateralibus duplam horum oculorum diametrum breviorem aequans. *Mandibulae* dense granulatae, subopacae, aeque saltem longae atquae ambae simul sumptae latae, basi geniculatae, inferius in longitudinem modice excavatae, in transversum paullo deplanatae; quum a fronte adspiciuntur, paullulum incurvatae, marginibus interioribus infra basim et apice contingentibus, ceterum foramen angustum, mediocriter manifestum includentibus; apice intus oblique truncatae sunt mandibulae et paullo excavatae, sulco unguiculari evidentiori carent, in angulo antice dente uno ornantur fortiori et ad eum utrimque (?) (infra saltem) dente multo minore uno; margo sulci unguicularis posterior grano unico indicatur, magis foras et retro quam dens angularis sito; margo apicalis anterior granis instructus est decem

[1]) Les Arachnides de France, v. I. p. 204.

[2]) Analytische Bearbeitung der Spinnen Norddeutschlands. 1883. p. 42.

saltem, pilos incurvatos fortes gerentibus. *Tibia* cum patellâ I. longior quam IV. *Abdomen* formâ vulgari. Cribellum integrum. *Epigyne* (tab. I. fig. 1) foveis ornatur duabus inter se septo quam ipsae latae sunt paullo angustiore, ca. 0·08 mm. lato, latitudinem metatarsorum circiter aequanti, plano remotis, modice profundis, maximam partem rotundatis et optime definitis, in parte exteriore posticâ autem apertis; ad marginem anticum exteriorem foveae tuberculo ornantur parvo corneo, paullo mutabili, plerumque transverso, nonnunquam evanescenti; margo foveae utriusque posterior foras longe productus, margini epigastrii parallelus, ab eo circiter 0·08 mm. remotus, denique breviter anteriora versus curvatus; spatium, quod marginibus his occupatur, latius est, quam quod a mamillis infimis occupatur, et non multo angustius quam maxillae cum labio.

Exempli nostri maximi cephalothorax 1·5 mm. longus, 1·1 latus, pars cephalica fere 0·5 longa, 0·65 lata, tibia cum patellâ I. 1·3, IV. 1·15 longa, abdomen 2·5 longum, 1·8 latum; exempli minimi: cephal. 1·1 long., 0·85 lat., pars cephal. 0·33 longa, 0·49 lata, tib. + pat. I. 0·95, IV. 0·80 long., abd. 1·7 lg., 1·2 latum.

Cephalothorax fuligineus aut badius, parte cephalicâ saepe pallidiore, pilis crassis albis, adpressis, in vittas longitudinales quinque digestis ornatâ. Mandibulae maxillae labium sternum colore cephalothoraci similia. Palpi et pedes fusco-flavidi, colore rufo plus minusve suffusi, annulis obscuris plerumque bene expressis ornati: in palpis pars tibialis fere tota annulo fusco occupatur et reliquis partibus obscurior est, partes femoralis et tarsalis plus minusve infuscatae apicem versus; pedum femora fere tota infuscata, praesertim subter et in lateribus, fuscedine praesertim in pedibus posterioribus in annulos duos inaequales (apicalem angustum) plus minusve divisâ; patellae annulis singulis, tibiae et metatarsi binis, paullo pone basim et in apice, ornata, tarsi apice infuscati. *Abdominis* dorsum cinereum aut flavido-cinereum, colore dilute fusco reticulatum, lateribus maculis parvis et punctis fuligineis contaminatis, secundum medium vittâ ornatum fuligineâ latâ inaequali et plus minusve interruptâ; quae vitta e maculâ constat anticâ, $^2/_5$ longitudinis saltem occupanti, oblongâ, duplo circiter longiore quam latiore, marginibus lateralibus modo parum inaequalibus, modo in sinus duos rotundatos evidenter dilatatis; pars vittae posterior ex angulis componitur circiter 9, quorum sex anteriores per paria apicibus lateralibus in maculas dilatatis inter se coniuncti sunt aut omnino fere confusi (praesertim par secundum et tertium), postremi autem puncta potius formant plus minusve transversa; angulus primus, qui cum apice maculae anticae coniungitur, et secundus sequentibus saepissime tenuiores sunt, primus

nonnunquam insigniter utrimque abbreviatus. Haec posterior pars vittae, latior et magis inaequalis quam macula antica, non parum variat formâ; in exemplis obscure coloratis maculam format oblongam, latere utroque in angulos tres fracto (quorum anticus saepe ramum brevem crassum anteriora versus et foras emittit), intus angulis fusco-flavidis transversis duobus aut tribus ornatam. Latera abdominis et venter in fundo paullo obscuriora quam dorsum et insuper maculis fuligineis aut umbrinis contaminata; laterum pars inferior plerumque minus quam superior maculata, ita ut venter aream formet colore pallidiore in lateribus manifeste definitam, fuligineam aut umbrinam, pallidius obsolete maculatam. *Epigyne* detrita et humefacta (fig. 2): fusco-flavida, picturâ fuscâ ornatur, quae marginibus fovearum antico et interiori, tuberculo in foveis sito (non raro non distincto) et marginibus transverse positis, supra commemoratis (aut eorum parti exteriori maiori saltem) respondet; pars epigynae postrema media maculis duabus rotundis nigricantibus, inter se proximis (spermathecae translucentes?) picta est.

Abdominis, quod pube tectum est cinereo-albidâ in partibus pallidis, fuligineâ aut nigrâ in obscuris, desiccati pictura similis atque humefacti, minus definita.

E *Dictynis*, quas novi, *D. civica* (H. Luc) et *D. vicina* E. Sim. imprimis cum *D. miti* comparandae mihi videntur, epigynae et mandibularum [1]) formâ enim hae species parum inter se differunt.

Dictyna mitis tuberculo illo, quo foveae epigynae ad marginem anticum ornantur, saepissime a *D. civica* et *D. vicina* distingui potest, non constanter tamen, quoniam tuberculum hoc nonnunquam omnino fere evanescit. Melius differunt epigynae harum specierum humefactae: maculae illae obscurae (spermathecis et „glandulis irrigatoris" respondentes) cum margine fovearum exteriore antico, recurvato, contingentes *(D. vicina)* aut ei proximae saltem *(D. civica)*, quas delineavi in Aran. Hung. v. I. tab. VI. fig. 27b et 28b, desunt in *D. miti*, haec autem ornatur in parte epigynae posticâ mediâ maculis nigricantibus inter se approximatis (rarissime indistinctis), quibus carent *D. civica* et *D. vicina*. A *D. vicinâ* differt *D. mitis* etiam pedibus annulatis atque parte cephalicâ angustiore et a parte thoracicâ marginibus fortius sinuatis distinctâ; quibus in rebus *D. mitis* similis est *D. civicae*. Pictura abdo-

---

[1]) Tabula synoptica *Dictynarum*, quam in Aran. Hungar. vol. I, p. 154—155 protuli, emendanda mihi videtur, nota enim e formâ mandibularum desumpta, quam ad distinguendam *Dictynam civicam* a *D. vicina* et *D. arundinacea* adhibui, parum est manifesta et nescio an non recta! *Dictyna civica* itaque a *D. vicina* et *D. arundinacea* imprimis pedibus annulatis distinguenda est.

minis non eadem est in his tribus speciebus, non constans tamen, ita ut *D. vicina* et *D. mitis* hac in re nonnunquam inter se vix differant; saepissime tamen in illâ vitta dorsualis abdominis non evidenter interrupta est, in *D. miti* autem manifeste e maculâ anticâ et angulis pone eam sitis componitur. *D. civica* eo insignis est, quod anguli duo primi, inter se confusi et cum apice maculae anticae coniuncti aut confusi, melius expressi sint quam anguli insequentes et maculam forment saepe nigerrimam crassam recurvatam, aut, si pars eorum media lateralibus pallidior est, quod non raro occurrit, maculas duas cum apice maculae anticae utrimque coniunctas; anguli hi in *D. miti*, ut supra dixi, saepissime minus expressi sunt quam insequentes.

Protadia E. Sim.

Pleraeque *Argennae* Auctorum non generi *Argennae*, ut a Cel. E. Simonio in Histoire naturelle des Araignées, edit. 2, definitum est, sed generi *Protadiae* eiusdem Auctoris subiungendae videntur. *Protadia* et *Argenna* Cel. E. Simonii imprimis — si non unice — intervallis oculorum anticorum inter se differunt. Oculi postici medii lateralibus minores sunt et inter se longius quam ab eis distant in *Argenna lucida* (E. Sim.) quidem, non tamen in specie typicâ generis: *Argenna Mengei* Thor., teste Cel. T. Thorellio [1]). Oculi antici generis *Argennae* a Cel. E. Simonio contingentes describuntur [2]); verisimilius tamen est, eos inter se valde approximatos esse quidem, sed non contingere; in araneolâ, quam eandem censeo atque *Argennam lucidam* (E. Sim.), oculi antici medii inter se circiter $^1/_8$ diametri, a lateralibus circiter $^1/_4$ diametri distare mihi videntur. Oculi antici speciei typicae generis *Protadiae: P. patulae* (E. Sim.) secundum descriptionem Cel. E. Simonii distant inter se diametro oculorum mediorum [3]); in alterâ tamen huius generis specie, cuius mentionem fecit Cel. E. Simon in Hist. nat. des Araignées *(P. albispiraculi* (Cambr.) = *subnigra* (Cambr.)), intervalla ea diametro mediorum insigniter sunt minora, imo: medium radio eorum vix maius, secundum figuram „*Drassi subnigri*" saltem a Rev. O. P. Cambridge editam [4]); in *Ciniflone Mengei* Cambr. eodem loco delineato, qui eadem est species atque *Drassus subniger* teste Rev. O. P. Cambridgio, distant quidem oculi antici diametro saltem, sed secundum descriptionem exempli typici,

---

[1]) T. Thorell, On European Spiders, p. 123, 124.

[2]) In Histoire naturelle des Araignées, ed. 2, p. 242; in Les Arachnides de France, vol. I. p 203. tamen modo: valde approximati (*Lethia lucida*).

[3]) Les Arachnides de France, v. I. p. 197.

[4]) Proc. Zool. Soc. London, v. XXVIII.

quam Cel. E. Simone protulit in Les Arachnides de France, oculi hi fere contingunt inter se. *Argennae pallidae* L. Koch et *A. testaceae* Bertk., quae generi *Protadiae* certo subiungendae sunt, intervalla, de quibus agitur, radio oculorum mediorum parum aut non maiora describuntur aut delineantur[1]). Non desunt itaque formae mediae inter *Protadiam patulam* et *Argennam lucidam*, quod oculorum anticorum situm attinet. Facile crediderim, oculos eos in universum eo maioribus inter se spatiis distare, quo maior est statura speciei[2]), et *Protadias* nil esse nisi formas luxuriosas generis *Argennae*.

Protadia subnigra (Cambr.).

Argenna minima, quam descripsi in opere: Araneae Hungariae, v. I. p. 159, synonymum non dubium est: *Protadiae subnigrae* (Cambr.), cuius marem et feminam Rev. O. P. Cambridge benigne mecum nuper communicavit. Femina Hungarica, quam ante oculos habeo, differt quidem paullo a feminâ Anglicâ formâ scutorum, quibus epigyne ornatur (cfr. figuras 7 et 8 in tab. I; in fig. 7 secundum exemplum Hungaricum delineatâ scutum dextrum ablatum est, ita ut lamella cornea partem ipsius epigynae formans conspiciatur, scutum sinistrum in parte posticâ exteriore paullo laesum), vix tamen dubitari potest, quin scuta haec formâ et magnitudine varient, ut quae ex materiâ quadam excretâ constent. Nullam ceterum differentiam inter has feminas et inter mares: Anglicum et Austriacum invenio. (In palpo, quem in fig. 5 et 6 delineavi, bulbus genitalis loco suo paullo motus est, parte posticâ paullo magis foras, parte anticâ magis intus sitâ quam in palpo integro).

Argenna lucida (E. Sim.).

Exemplum nostrum paullo minus videtur, quam quod Cel. E. Simon descripsit in Les Arachnides de France, v. I; eius cephalothorax modo 0·65 mm. longus est; oculi, ut supra dixi, antici medii inter se circiter $^1/_8$ diametri, a lateralibus ca. $^1/_4$ diametri distant. Epigyne (tab. I. fig. 3, 4) foveis duabus magnis, parum definitis ornatur, quae pi-

---

[1]) L. Koch, Beschreibungen neuer von Herrn Dr. Zimmermann bei Niesky in der Oberlausitz entdeckter Arachniden. Abhandl. naturf. Gesellsch. Görlitz, v. 17. — Ph. Bertkau, Ueber die Gattung Argenna Thor. und einige andere Dictyniden. Archiv f. Naturgeschichte, 48. Jhg.

[2]) *Protadia patula*: cephalothorax ♀ 1·9 mm. longus, intervalla = diametro oculorum mediorum, *P. crassipalpis* (Dahl) (*Argenna Lendlii* Kulcz.): cephal. ♀ 1·3 long., intervallum medium saltem radio maius, *P. pallida* (L. Koch): cephal ♀ 1·0 long., intervalla radio parum maiora, *P. subnigra* Cambr. cephal. ♀ fere 0·8 long., intervalla radio insigniter minora, *Argenna lucida* (E. Sim., n.): cephal. ♀ 0·65 long., intervalla = $^1/_4$ et $^1/_2$ radii.

lis longis in parte anticâ et in exteriore adnatis adeo occultantur, ut in epigynâ integrâ difficilius conspiciantur. Septum foveis interiectum latum est (a Cel. E. Simonio sat angustum describitur, fortasse igitur haec *Argenna* nostra non *lucida* E. Sim. est sed species propria?).

Scotophaeus Blackwallii (Thor.).

Scotophaei huius synonymum non dubium mihi videtur *Drassus immundus*, quem ut speciem novam descripsi in „Araneae Hungariae" v. II, pars 2. Femina *Scotophaei Blackwallii* Anglica, dono mihi a Cel. F. O. P. Cambridgio data, non differt a *Dr. immundo* Hungarico nisi epigynae foveâ minus profundâ et angustiore et spatio ante eam sito breviore et item minus profunde impresso; quae differentia certo ex aetate exemplorum inaequali pendet (feminae Hungaricae ambae post partum captae, femina Anglica gravida videtur).

Tabulae synopticae *Drassorum*, quas Cel. E. Simon edidit in Les Arachnides de France, v. I, p. 102—107, quod *Drassum Blackwallii* attinet, non certae et pro parte non rectae videntur. Tibiae IV. feminae supra non constanter aculeo 1 ornantur, imo fortasse saepius inermes sunt (sic in exemplis Hungaricis ambobus; etiam exempli Anglici tibia IV. sinistra supra aculeo caret, — pes dexter deest huic feminae). Tibiarum anteriorum armatura insigniter mutabilis videtur: tibiae I. exemplorum Hungaricorum inermes sunt, exempli Anglici altera inermis, altera aculeo 1 prope medium subter ad latus anticum ornata, tibiae II. illorum modo aculeo 1 in apice subter ad latus anticum, modo etiam altero in latere eodem prope medium armatae, exempli Anglici ambae tibiae II. subter aculeo 1. 1 (non 1. 1. 1) instructae sunt. Maris, unici, quem vidi, tibia I. subter aculeis 1. 2 (prope medium et in apice) ornatur (pes I. sinister deest), tibiae IV. supra inermes sunt. Processus bulbi genitalis exterior[1]) mediocri longitudine, in uncum brevem intus directum desinit. — In *Scotophaeum Blackwallii* nostrum melius fere quam descriptio *Drassi Blackwallii* apud Cel. E. Simonium quadrat eiusdem Auctoris descriptio *Drassi isabellini* (qui summopere similis videtur *Scotophaeo Blackwallii*). Dubitare tamen non possum, quin femina dono mihi data a Cel. F. O. P. Cambridgio verus *Scotophaeus Blackwallii* sit; feminae Hungaricae certo eiusdem sunt specici, et de mare Austriaco idem accipiendum mihi videtur.

Mas *Scotophaei Blackwallii* facile distinguitur a *Sc. quadripunctato* (L.), cui similis est femorum posteriorum armaturâ et longitudine meta-

---

[1]) „l'interne" sc. apophyse in tabula synoptica Cel. E. Simonii l. c. p. 103, Nr. 19, mendum est pro: l'externe. Cfr. descriptiones l. c. pag. 149 et 150.

tarsi IV., praesertim processu tibiali palporum simili atque in *Sc. scutulato* (L. Koch), sed breviore (evidenter breviore quam pars ipsa, quum in *Sc. scutulato* eam longitudine paene aequet); ab ambobus his *Scotophaeis* differt parte tarsali palporum insigniter angustiore: duplo saltem, neque ut in eis sescuplo modo, longiore quam latiore.

Prosthesima pilipes n. sp.

M a s.

Cephalothorax 3·2 mm. longus, 2·4 latus, fronte ca. 1·05, parte cephalicâ postice ca. 1·3, areâ oculorum ca. 0·5 latâ, densissime subtiliter granulatus, subopacus, pilis dispersis simplicibus, qui granulis paullo maioribus innati sunt, abunde instructus. *Oculorum* series posterior desuper visa latitudine oculi lateralis longior quam series anterior, levissime recurvata; oculi medii leviter angulati sunt, lateralibus paullo maiores et paullo longius inter se (paullulum plus quam dimidiâ diametro) quam ab eis remoti videntur; series anterior fortiter deorsum curvata, oculi medii lateralibus insigniter minores, ab eis spatio parvo, inter se non totâ diametro remoti; area oculorum mediorum aeque fere longa atque lata postice, hic paullulum plus quam dimidiâ latitudine oculi latior quam antice. Oculi antici laterales circiter diametro suâ maximâ a margine clypei remoti. *Mandibulae* pilis inaequalibus non densis instructae, subopacae. *Sternum*, punctis impressis pilos gerentibus exceptis, laeve nitidum. *Palporum* (tab. I. fig. 9, 10) pars femoralis subter parum convexa, apicem versus circiter a medio longe et leviter attenuata; pars patellaris ca. $^5/_6$ longior quam latior; pars tibialis circiter $^2/_3$ partis patellaris longitudine aequat, prope apicem aeque lata est atque pars ea, basim versus leviter angustata, apice infra, praesertim versus latus interius paullo incrassata, in latere exteriore autem in processum producta quam ipsa circiter dimidio breviorem, anteriora versus et paullulum foras directum, leviter sursum curvatum, quum autem desuper adspicitur, levissime sinuatum: maximam partem foras, apice autem levissime intus curvatum; a latere visus processus hic fere aequabiliter attenuatus est, apice obtusiusculus, desuper visus autem paullo inaequabiliter angustatus in hamulum parum expressum, intus directum desinit. Lamina tarsalis aeque fere longa atque pars patellaris cum tibiali (processu excluso), latitudine sescuplam latitudinem partis patellaris aequat saltem, circiter $^3/_4$ longior quam latior, ovata, apicem versus sat longe acuminata, parum asymmetrica; rostrum circiter $^1/_5$ totius longitudinis occupat. *Bulbus genitalis* ab imo adspectus e lobis duobus imprimis constare videtur, valde inaequalibus; horum interior, minor, postice latus, anteriora versus angustatus, marginem interiorem bulbi

occupat; lobus maior, postice et in lateribus ellipticus, magnam partem parum inaequabiliter convexus, sulco lato et modice definito ornatus in margine interiore, basi propius, initium capienti, anteriora versus et foras directo, apicem versus in lineâ mediâ fere dente instructus complanato, lato (latitudine circiter $^1/_4$ partis tarsalis aequanti), longiore quam latiore, apicem versus leviter aut parum angustato, apice in universum rotundato aut rotundato-truncato, in dimidio apicali minute plicato (sulcis plus minusve radiantibus), margine apicali inaequabiliter denticulato (dens hic formâ paullo variat). Ex margine apicali interiore lobus maior spinam emittit corneam, parum gracilem, foras et paullo anteriora versus directam, apice paullo ultra lineam medianam bulbi pertinentem; sub eâ, fundo alveoli propius, spina alia conspicitur (probabiliter apex lobi interioris) longior, foras directa, modice recurvata, prope marginem alveoli exteriorem sursum curvata. Partem bulbi externam anticam spina alia format profunde sita, crassa, anteriora versus et paullulum intus, a basi etiam sursum directa, apice anteriora versus curvata. A latere visus bulbus genitalis apice late et paullo oblique et inaequabiliter truncatus est, angulo inferiore in dentem producto fortem, fere anteriora versus directum, leviter sursum curvatum, acutum. *Pedum* femora omnia supra aculeis 1. 1, praeterea anteriora in latere antico apicem versus aculeo 1, III. supra ad latus utrumque 1. 1, IV. ad latus anticum 1, ad posticum 1. 1 ornata, patellae et tibiae anteriores inermes, patellae posteriores postice aculeo 1, tibiae posteriores supra inermes, subter aculeis 2. 2. 2, in latere utroque inferius 1. 1 et superius tibiae III. in latere utroque, IV. autem in postico saltem, 1; metatarsi I. inermes, II. subter pone basim aculeis 2, III. et IV. aculeis compluribus, subter, in lateribus, supra in lateribus (non tamen in lineâ mediâ) sitis instructi. Metatarsi et tarsi anteriores scopulati. Pedes solito paullo longius, inaequaliter pilosi, I. 9·5, II. 8·0, III. 6·9, IV. 11, pedum I. femur 2·3, patella 1·45, tibia 1·60, metatarsus 1·5, tarsus 1·15, pedum II. partes: 2·0, 1·3, 1·3, 1·4, 1·1, pedum III.: 1·8, 0·95, 1·15, 1·45, 1·1, IV.: 2·8, 1·45, 2·05, 2·7, 1·3 mm. longae. *Abdomen* 3·3 mm. longum (mamillis exclusis), 2·0 latum, formâ vulgari, cute molli tectum.

Occurrunt exempla minora: cephalothorace 2·5, tibiâ cum patellâ IV. 2·6 mm. longâ.

Cephalothorax et sternum nigra, colore fuligineo suffusa; palpi flavido-fusci, pedes fuligineo-nigri, femora I. utrimque maculâ oblongâ pallidâ ornata, tarsi obscure fusco-flavidi, colore rufo parum suffusi, metatarsi modo omnes fere colore tibiarum et tarsis insigniter obscuriores, modo antici parum obscuriores et tibiis evidenter pallidiores. *Abdomen* nigrum, desiccatum fuligineum, opacum.

Patria: Austria inferior (Bisamberg), Dalmatia (Zara, marem adultum invenit Rev. Cattaneo S. J.).

Prosthesima collina n. sp.

Femina.

Cephalothorax 2·7 mm. longus, 2·05 latus, parte cephalicâ postice 1·0, fronte ca. 0·85 latâ, areâ oculorum ca. 0·44 latâ, dense subtilissime granulatus, parum nitens, pilis simplicibus dispersis, qui granulis paullo maioribus innati sunt, abunde instructus. *Oculorum* series posterior desuper visa levissime recurvata, non totâ latitudine oculi lateralis longior quam series anterior, oculi medii angulato-rotundati, laterales sat anguste elliptici, mediis minores sed non aut parum breviores; medii inter se circiter $^2/_3$ diametri, a lateralibus paullo minus remoti; series anterior fortiter deorsum curvata, oculi medii lateralibus insign ter minores, ab eis spatio parvo, inter se non totâ diametro et aeque circiter atque oculi medii postici inter se distantes; oculi laterales antici a clypei margine elevato circiter diametro suâ minimâ remoti. Area oculorum mediorum postice circiter dimidiâ diametro oculi latior quam antice et aeque circiter lata atque longa. *Mandibulae* pilis valde inaequalibus non densis instructae, sat nitidae. *Sternum* punctis impressis, dispersis, pilos gerentibus, exceptis laeve nitidum. *Pedum* femora supra aculeis 1. 1, praeterea anteriora et IV. in latere antico apicem versus 1, III in latere utroque et IV. in latere postico aculeis 1. 1 armata; pedum anteriorum patellae et tibiae inermes, metatarsi subter pone basim aculeis 2 instructi, metatarsi et tarsi dense scopulati; pedum posteriorum patellae in latere postico aculeo 1, tibiae subter 2. 2. 2, in latere utroque 1 et inferius modo 1 (tibiae III. postice) modo 1. 1 (tibiae III. in latere antico, IV. in utroque), metatarsi aculeis compluribus, subter et in utroque latere et supra latera versus — non tamen in lineâ mediâ — sitis ornati; scopulis carent pedes posteriores. Pedum I. femur 1·8, patella 1·1, tibia 1·24, metatarsus 1·0, tarsus 0·78, pedum II. partes: 1·5, 0·95, 1·0, 0·9, 0·73, pedum III.: 1·4, 0·65, 0·87, 1·0, 0·8, pedum IV.: 1·8, 1·1, 1·45, 1·8, 0·9, pedes I. 6·5, II. 5·75, III. 5·3, IV. 7·7 mm. longi. *Abdomen* 3·0 mm. longum mamillis exclusis, 1·7 latum, formâ ordinariâ. Area *epigynae* (tab. I. fig. 11.) (nonne perfecte evolutae?) parum definita, margine postico utrimque procurvo, medio leviter rotundato-exciso, foveâ ornata partem epigastrii posteriorem circiter dimidiam occupanti, non profundâ, optime tamen definitâ; pars foveae anterior angusta, latitudine dimidiam latitudinem tarsorum IV. vix aequans, anteriora et posteriora versus leviter dilatata, marginibus lateralibus obtusis; margo an-

ticus foveae, acutus, libratus, supra foveam paullo prominens, arcus format duos parvos recurvos, medio in angulum coëuntes, qui septi brevissimi instar in foveam paullo productus est et fundo eius adnatus; posterius fovea primo sensim latior fit, tum iterum angustior, lateribus paullo inaequabiliter arcuatis; pars haec foveae duplo saltem latior est quam pars anterior, postice aperta; eius fundus posterius levissime in longitudinem sulcatus, utrimque sulco ornatur acuto posteriora versus et paullo intus directo.

Cephalothorax et *abdomen* nigra; quum animal in liquorem immersum est, ille colorem fuligineum, hoc cinereum sentit. Mandibulae colore cephalothoracis; subter cephalothorax fuligineo-niger est; palpi flavo fuliginei; pedes fuligineo-nigri, femora antica maculâ pallidâ oblongâ utrimque notata, tarsi anteriores obscure rufo-umbrini, posteriores pallidiores. Abdomen desiccatum fuligineum, fere opacum.

Species haec, epigynae formam quod attinet, similitudinem quandam cum *Prosthesimâ femellâ* (L. Koch), quam non novi, praebet; desunt tamen in eâ foveae, quibus epigyne *Pr. femellae* antice in lateribus ornatur, secundum figuram 114 in opere Cel. Dris L. Kochii: Die Arachniden-Familie der Drassiden; fovea epigynae antice margine acuto clausa est, neque aperta, postice usque ad marginem epigastrii pertinet et aperta est.

Prosthesima pumila (C. L. Koch).

In *Prosthesimam*, quam *Pr. pumilam* (C. L. Koch) appello, non male quadrant descriptio et figurae *Prosthesimae vernalis* a Cel. Dre L. Kochio editae in opusculo, qu. inscr.: Apterologisches aus dem Fränkischen Jura (Abhandl. naturhist. Gesellsch. Nürnberg, 1872, vol. VI). Pro *Melanophora pumila* C. L. Kochii Cel. Dr. L. Koch aliam quandam speciem habere videtur, cuius mentionem fecit in: Verzeichniss der bei Nürnberg bis jetzt beobachteten Arachniden (l. c. 1877). Utrum nostra an Dris L. Kochii *Prosthesima pumila* vera sit *Melanophora pumila* C. L. Kochii, difficile est ad diiudicandum; descriptio C. L. Kochii non satis enim est subtilis et exempla typica deperdita videntur; Dr. L. Koch saltem in opere: Die Arachniden-Familie der Drassiden, ubi nonnullorum typorum C. L. Kochii mentionem fecit, *Melanophoram pumilam* inter species sibi ignotas posuit (pag. 191). Quum tamen *Prosthesima pumila* nostra (sive *Pr. vernalis* L. Koch) species multo frequentior sit et latius diffusa (Gallia meridionalis, Bavaria, Austria inferior, Hungaria, Croatia) et in collibus ad Danubium sitis — prope Vindobonam saltem — occurrat, *Prosthesima pumila* Dris L. Kochii (ad

hoc tempus subtilius non descripta) contra species rarissima videatur[1]), nomen „*pumila* C. L. Koch“ nostrae potius speciei quam araneae Dris L. Kochii attribuendum censeo.

Prosthesima declinans Kulcz.

Feminae descriptio, quam in „Araneae Hungariae“ vol. II. p. 205 protuli, paullo emendanda est. *Mandibulae* paullo proiectae sunt et postice dente uno ornatae, neque inermes. *Tibia* III. antice aculeis 3: superius 1, inferius 1. 1, ornatur, tibia IV. in latere antico nonnunquam inermis; armatura metatarsorum IV. sat mutabilis videtur. Margo posticus foveae *epigynae* in medio nonnunquam angulum nullum evidentiorem format; pars epigynae pone foveam sita in altero exemplo Austriaco anterius sulco ornatur longitudinali, acute impresso, in altero plana. *Cephalothorax* 1·9—2·4 mm. longus.

Mas feminae similis, his rebus differt ab ea: *Cephalothorax* 2·1 mm. longus, 1·55 latus, sub serie secundâ oculorum, quae 0·47 longa est, 1·1 latus. *Oculi* antici laterales diametro suâ maximâ saltem a margine clypei remoti. *Mandibulae* 0·95 longae. Apex anguli *maxillae* fere in mediâ eius longitudine situs, basi non propior saltem quam apici. *Palporum* (tab. I. fig. 12) pars femoralis subter non evidenter incrassata; pars patellaris circiter $^1/_3$ longior quam latior, paullo asymmetrica, in latere interiore brevior, apicem versus paullo dilatata; pars tibialis duplo saltem brevior quam patellaris, aeque longa (in lineâ medianâ) atque summâ basi lata, a basi apicem versus insigniter dilatata, apice in latere exteriore in processum producta aeque circiter atque ipsa longum, anteriora versus et paullo foras directum, paullo compressum; qui processus a latere sat late triangularis videtur, lateribus fere rectis, summo apice obtusiusculo, desuper visus angustior est, levissime sinuatus, apice acuto leviter incurvato, cum laminâ tarsali non contingenti. Lamina tarsalis circiter duabus quintis partibus suae longitudinis superat partem patellarem cum tibiali (processu excluso), duplo fere longior est quam latior, ovata apice paullo acuminato, basi paullo oblique truncata, mediocriter asymmetrica; rostrum subnullum; margo laminae tarsalis exterior basalis subter sat latus, in longitudinem sulcatus. *Bulbus genitalis* compactilis, processibus prominentibus evidentioribus caret, a latere visus subter modice et parum inaequabiliter convexus; a parte inferiore visus ex lobis imprimis tribus constare videtur valde inaequalibus; horum duo cornei, tertio multo minores, in parte interiore iacent: alter,

---

[1]) *Prosthesimae pumilae* suae Cel. Dr. L. Koch unicum modo exemplum invenit (Verz. Nürnbg. Arachn. p. 152).

maior, elongatus, basim bulbi format et partem maiorem marginis interioris, anteriora versus paullo inaequabiliter angustatus; alter partem anticam interiorem occupat, oblique positus, latere exteriore fere recto, interiore leviter et paullo inaequabiliter arcuato; lobus maximus magnam partem mollis, sulcis et incisuris quibusdam subdivisus, paullo inaequalis, oblongus, postice rotundatus, anteriora versus paullo dilatatus, antice in latere interiore latius et valde oblique, in interiore brevius et fere transverse truncatus; in margine interiore prope mediam longitudinem bulbi lobus hic ornatur impressionibus duabus approximatis, granum corneum paullo transversum limitantibus, in margine exteriore autem paullo pone medium fissurâ non profundâ, fere transversâ, in qua initium capit sulcus modice perspicuus, anteriora versus et paullo intus directus. Ultra marginem bulbi genitalis apicalem, lateri exteriori propius, dens prominet corneus niger, sat crassus, profunde situs, in margine exteriore autem, pone medium bulbus dente alio ornatur, minore, compresso, corneo, deorsum et anteriora versus directo, paullo deorsum curvato, qui a latere exteriore non ita difficile conspicitur. *Abdomen* 2·6 mm. longum (mamillis exclusis), 1·5 latum, scuto corneo carere videtur.

Colore non differt mas a femina.

Insigniter haec species differt a *Prosthesimis* typicis, nescio tamen, cui generi alii rectius sit subiungenda.

Gnaphosa badia (L. Koch).

Pythonissa badia L. Koch 1866. Die Arachniden-Familie der Drassiden, p. 22. f. 15 (♀). — *Gnaphosa badia* L. Koch 1872, Beitrag zur Kenntniss der Arachnidenfauna Tirols. 2. Abhandlung, p. 305 (♂).— E. Simon 1878, Les Arachnides de France, v. IV, p. 178.

Epigyne (tab. I. fig. 13) foveâ ornatur formâ paullo varianti, e partibus duabus compositâ, anteriore angustâ lateribus plus minusve parallelis, et posteriore transversâ fere semicirculari, postice rotundatâ. Pars anterior marginibus lateralibus obtusis; totus eius margo anticus in ligulam productus est libratam, modo aeque circiter longam ac latam, modo plus dimidio longiorem quam latiorem, pilosam, plus minusve evidenter transverse plicatam, apice obtusam, quae non totam huius partis longitudinem occupat. Fundus partis anterioris foveae, quoad ligulâ non occultatur, plerumque evidentissime transverse plicatus est, plicâ postremâ plerumque in angulum fractâ apice retro directum, cruribus arcuatis recurvis. Circiter in mediâ totius foveae longitudine margines eius subito foras flectuntur, ita ut foras aut foras et paullo retro directi evadant; partes hae marginum transverse positae acutissimae sunt et modo libratae, modo paullo elevatae. Margo posticus posterioris

partis foveae iterum omnino obtusus et modice definitus, in medio fortiter depressus. Fundus partis huius nitidissimus, sulcis duobus ornatur retro et paullo intus directis, plus minusve incurvis; pars media sulcis definita aeque circiter lata atque ligula, ovata antice latior aut triangularis fere, depressa, multo angustior quam partes laterales, quae usque ad marginem posticum sensim adscendunt.

Euryopis dentigera E. Simon (?).

Euryopis dentigera E. Simon 1879. Arachnides nouveaux de France, d'Espagne et d'Algérie, p. 251. — E. Simon 1881. Les Arachnides de France, v. V. p. 129.

Femina, quam huius esse speciei censeo, differt ab *Eu. flavomaculata* (C. L. Koch), cui non parum similis est, imprimis staturâ multo minore: cephalothorace modo 0·7 mm. longo, et abdomine supra obscure umbrino aut fuligineo maculis pallidioribus carenti, exceptis punctis maiusculis quatuor, parum perspicuis, in quadrangulum paullo transversum dispositis, quae fossulis paullo induratis respondent. Oculi postici medii inter se paullulum longius aut non minus saltem distant quam a lateralibus, intervallum eorum tamen non aut vix minus mihi videtur quam diameter (cfr. E. Simon, Les Arachnides de France, v. V. p. 122). Epigyne (tab. I. fig. 14) foveâ ornata magnâ (0·18 mm. latâ), latiore quam longiore, antice sat profundâ, fundo posteriora versus adscendenti, antice et in lateribus marginibus acutis optime limitatâ, margine postico valde obtuso parum definito, antice rotundato-truncatâ, a margine antico posteriora versus lateribus arcuatis modice angustatâ. A margine postico epigastrii fovea fortasse $^1/_3$ longitudinis suae distat.

Theridium suaveolens E. Simon.

Theridion suaveolens E. Simon 1879. Arachnides nouveaux de France, d'Espagne et d'Algérie, p. 256. — E. Simon 1881. Les Arachnides de France, v. V. p 57.

Feminae abdomen ut in *Th. herbigrado* E. Sim. in dorso postice tuberculo ornatur; quod tuberculum tamen adeo parum expressum est, ut facile fugiat aciem oculorum. Epigyne (tab. I. fig. 18) foveâ ornatur magnâ, latiore quam longiore, marginibus maximam partem non evidenter induratis, obtusis et mediocriter definitis circumscriptâ; postice modo in medio, ubi margo epigastrii in sinum sat latum, modice profundum excisus est, margo foveae compressus carinulam format corneam transversam brevem, ad quam utrimque foveola minuta conspicitur. Cephalothorax exempli nostri unici 0·85 mm. longus est.

Theridium simulans (Thor.)

Theridium formosum var. simulans, Thorell 1875. Descriptions of several European and North-African Spiders. (Kongl. Svenska Vetenskaps Akademiens Handlingar. Bd. 13. No 5) p. 55.

Theridium hoc probabiliter varietas est *Theridii tepidariorum* C. L. Koch, neque *Theridii formosi* (Clerck), uti censuit Cel. T. Thorell, cui mas *Th. simulantis* ignotus fuit.

Femina adulta differt a *Th. tepidariorum* staturâ minore et pedibus brevioribus (cephalothorax *Th. simulantis*: 1·45, 1·45, 1·5 mm., tibia I.: 1·65, 1·7, 1·9, cephalothorax *Th. tepidariorum*: 1·9, 2·1, 2·3, 2·5, tibia I: 2·8, 3·05, 3·4, 3·55 longa). Ab exemplis *Th. formosi* picturâ melius distinctâ feminae *Th. simulantis* sine negotio distinguuntur picturâ abdominis simili atque in *Th. tepidariorum;* area illa pallida oblonga, quo dorsi pars posterior ornatur, in *Th. simulanti* in parte inferiore lineis nigris, fuligineis aut umbrinis, transversis picta est, saepe in arcus paucos crassos dilatatis; lineae hae desunt in *Th. formoso*, cuius area commemorata saepissime supra modo colore nigro aut umbrino repleta pro parte invenitur, rarius etiam prope medium arcu colore eodem transverso recurvato, non vero infra, ornatur. Differentia haec in exemplis pallide coloratis minus distincta est; nonnunquam lineae commemoratae in *Th. simulanti* adeo obsoletae sunt, ut forma haec difficilius a *Th. formoso* distinguatur. Venter prope epigynam non semper concolor est in *Th. simulanti*, imo saepius pari punctorum alborum ornatur, quae puncta raro in maculam unam confluunt. Pedes antici *Th. formosi* paullulum breviores videntur quam *Th. simulantis* (ex. gr.: cephalothorax: 1·38, 1·58, 1·6, tibia I.: 1·53, 1·6, 1·64 mm. longa), sed nota haec parum certa est.

Bulbus genitalis *Th. simulantis* omnino eâdem est formâ atque in *Th. tepidariorum*, facile itaque distinguitur mas *Th. simulantis* a *Th. formoso* (cfr. figuras 37 et 38 in „Araneae Hungariae" vol. II. tab. I.); inter mares *Th. simulantis* et *Th. tepidariorum* nullam aliam differentiam invenio nisi in staturâ et pedum longitudine (ex. gr. illius cephalothorax 1·1, 1·24, 1·31, tibia I. 1·53, 1·6, 1·67, huius cephalothorax: 1·75, 1·75, 1·82, 1·97, tibia I.: 2·85, 3·06, 2·99, 3·65 mm. longa).

Cnephalocotes laesus (L. Koch).

Erigone laesa L. Koch 1879, Arachniden aus Sibirien und Novaja Semlja, eingesammelt von der schwedischen Expedition im Jahre 1875. (Kongl. Svenska Vetenskaps-Akademiens Handlingar, Bd. 16. No 5) p. 67, tab. II, fig. 19. — *Walckenaëra interiecta* O. P. Cambridge 1888,

On Walckenaëra interiecta, a new Spider from Hoddesdon. (Trans. Hertfordshire Nat. Hist. Soc. Vol. V.) p. 18. — Id. 1889, On new and rare British Spiders. (Proc. Dorset Nat. Hist. a. Antiqu. Field Club. Vol. X) p. 15. — *Cnephalocotes interiectus* Chyz. & Kulcz., Araneae Hungariae, vol. II. p. 117 & 118, tab. IV. fig. 40.

Walckenaëra interiecta, quam Rev. O. P. Cambridge anno 1888 descripsit secundum exempla Anglica et Hollandica, certo eadem est species atque *Erigone laesa* Dris L. Kochii e Siberiâ mediâ. — *Cnephalocotes curtus* (E. Sim.[1]) simillimus videtur *Cnephalocotae laeso*, quod tamen de illius parte tibiali palporum dicitur l. c., non quadrat in *Cn. laesum*.

Tapinocyba antepenultima (Cambr.).

Walckenaëra antepenultima O. P. Cambridge 1882, On some new Species of Araneidea, with Characters of a new Genus. (Ann. a. Magaz. Natur. Hist. 5 Ser. Vol. 9.). p. 259, tab. XIII. fig. 3. — *Plaesiocraerus antepenultimus* E. Simon 1884, Les Arachnides de France, vol. V. 776. — *Diplocephalus antepenultimus* E. Simon 1894, Histoire naturelle des Araignées. 2 edit p. 616.

Speciem hanc generi *Tapinocybae* subiungo, quoniam — praeter alia — pedum unguiculis longe pectinatis differt a *Diplocephalis* et cum *Tapinocybis* convenit.

Feminam non novi. Maris sternum fere omnino laeve, pars cephalica non elevata. Palporum (tab. I. fig. 15, 16, 17) pars patellaris circiter sescuplo longior quam latior; pars tibialis, processibus inclusis, paullo longior et multo latior quam patellaris, subter valde brevis, desuper visa paullo longior quam latior, a basi anteriora versus insigniter et paene aequabiliter dilatata, supra basim laminae tarsalis paullo producta, praesertim in parte interiore, circiter a medio anteriora versus in latere interiore rotundato-angustata, in exteriore primo valde oblique (fere in longitudinem), tum minus oblique truncata et emarginata, in dentes itaque desinens duos latos breves, quorum interior exteriore longius prominet; inter dentes ambos margo partis tibialis sursum inaequabiliter sinuatus et minute denticulatus est et denti interiori propius dentem alium brevem nigrum formare videtur, quum pars haec desuper simulque a tergo adspicitur. Lamina tarsalis desuper visa aeque circiter longa atque lata, insigniter asymmetrica, basi in latere exteriore oblique et late truncata, ceterum latere hoc cum apicali et cum interiore apicali

[1]) *Erigone curta* E. Simon 1882, Descriptions d'Arachnides nouveaux du genre Erigone. (Bull. de la Société zoologique de France pour l'année 1881) p. 253. — *Cnephalocotes curtus* E. Simon, Les Arachnides de France, vol. V. p. 704, fig. 565, 566.

aequabiliter fere rotundato. In latere exteriore lamina apicem versus fortiter dilatata est sive deorsum producta, apex eius latissime truncatus, angulis — praesertim interiore — late rotundatis. Bulbus genitalis valde inaequalis, apice late excavatus; in latere exteriore, infra, apex eius processum emittit magnum oblongum, pallide coloratum, anteriora versus et paullo deorsum directum, qui fortasse „conductor emboli“ est; lateri interiori propius dens iacet elongatus sive spina fortissima, cornea, „conductore“ illo non multo brevior, sed anteriora versus et magis sursum directa; ad latus interius dentis huius basis taeniae corneae longissimae (emboli) intus directae conspicitur, quae sursum et paullo anteriora versus curvata, sub laminam tarsalem ingreditur, secundum eius marginem apicalem curvata denique sub angulo apicali exteriore emergit, cum conductore emboli contingit et sinuata paullo ultra eius apicem prominet. Cephalothorax exempli nostri 0·55 mm. longus.

Caracladus globipes (L. Koch).

Erigone globipes L. Koch 1872, Apterologisches aus dem fränkischen Jura. (Abh. naturhist. Gesellsch. Nürnberg. VI Bd.) p. 14, tab. 1, fig. 13—16. — *Erigonoplus globipes* E. Simon 1884, Les Arachnides de France, vol. V, p. 729, fig. 607—9. — *Walckenaëra globipes* Dahl 1886, Monographie der Erigone-Arten im Thorell'schen Sinne cet. (Schrift. naturwiss. Vereins für Schleswig-Holstein, Bd. VI) p. 82. — *Caracladus globipes* E. Simon, Histoire naturelle des Araignées, edit. II., p. 618.

Mas metatarsis I. fortiter incrassatis valde insignis. Palporum (tab. I. fig. 19, 20) pars tibialis apice in latere superiore interiore in processum producta latum, in ramos divisum duos parum inaequales, sinum latum includentes; ramus superior sive exterior anteriora versus et paullo sursum directus, apice obtusus, supra laminam tarsalem prominet; inferior (interior) paullo minor, magis acutus, anteriora versus directus, cum laminâ tarsali contingit. Bulbus genitalis valde peculiaris; apicem eius lamellae formant magnae corneae nigrae, fere transverse positae (deorsum et parum retro directae) inaequales; interior maior, latere exteriore recto fere, interiore arcuato, deorsum angustata, subplana; exterior oblique semilunaris, latere exteriore arcuato, sursum angustata, angulum superiorem lamellae interioris non attingit, deorsum aeque longe atque illa pertinet, magis quam ea inaequalis. Ad „partem terminalem“ bulbi particulae duae aliae pertinere videntur: in latere exteriore lamella oblonga, a margine laminae tarsalis deorsum directa, in transversum concava, parum perspicua, cum lamellâ apicali exteriore contingens; in latere interiore autem pars multo maior, cornea fere C-formis, in latere interiore excisa, parte apicali cum lamellâ apicali interiore contigenti.

Feminam, quam paucis verbis attigit solus Cel. F. Dahl, subtilius describendam censeo:

Cephalothorax laevis nitidus, 0·58 mm. longus, 0·48 latus, antice modice angustatus lateribus parum sinuatis, supra basim palporum 0·32 latus, sub serie secundâ oculorum, quae 0·23 longa est, 0·29 latus, parte cephalicâ, quum desuper adspicitur, fere semicirculari, angulis frontis parum expressis. Postice cephalothorax valde late sed non profunde excisus est in arcum paene aequabilem, cuius pars utraque supra medias coxas IV. cum lateribus cephalothoracis in angulum concurrit valde latum quidem, bene tamen expressum. Oculi postici medii paullulum demissius siti quam punctum summum cephalothoracis, quod ab eis spatio distat aeque circiter longo, atque intervallum oculis mediis postico et antico interiectum. Ab hoc puncto dorsum cephalothoracis posteriora versus lineâ paene rectâ, anteriora versus autem usque ad oculos medios anticos arcu fere aequabili, modice convexo descendit; clypeus leviter proiectus, rectus fere, quum a latere adspicitur. Impressiones cephalicae sat profundae, sed parum definitae; sulco medio caret cephalothorax, inter coxas III. impressione ornatur vadosâ magnâ, parum definitâ, transversâ. In cephalothorace directo desuper adspecto oculi nusquam margines eius attingere, postici laterales et antici medii spatiis paene aequalibus ab eis remoti esse, laterales antici spatiis minoribus distare videntur. *Oculorum* series posterior leviter procurva: puncta media lateralium cum marginibus anticis mediorum lineam designant subrectam, oculi subaequales et spatiis subaequalibus, quam diameter parum minoribus remoti; series anterior leviter procurva: marginibus superioribus oculorum lineam subrectam (parum deorsum curvatam) designantibus, oculi medii posticis mediis evidentur quidem sed non multo minores, lateralibus anticis insigniter minores, ab eis radio suo saltem, inter se spatio fortasse duplo minore remoti. Area oculorum mediorum paullulo longior quam latior postice, hic circiter diametro oculi latior quam antice. Clypeus medius circiter radio oculi medii antici humilior quam area oculorum mediorum longa. *Mandibulae* fere ad perpendiculum directae, circiter sescuplo longiores quam clypeus altus, subtiliter non dense reticulatae, apice intus rotundato angustatae, in sulci unguicularis margine antico dentibus 3(4?) subaequalibus, in postico duobus armatae. *Maxillae* fortiter in labium inclinatae adeo, ut transverse potius quam in longitudinem directae dici possint; palpus lateri anteriori maxillae ad angulum exteriorem adnatus. *Labium* valde breve, triplo saltem latius quam longius, margine elevato partem suam maiorem formanti. *Sternum* 0·36 longum, 0·39 latum, insigniter convexum, laeve (punctis piligeris exceptis), nitidum, postice ita late truncatum, ut

coxae IV. fere longitudine suâ inter se distent. *Pedes* modice longe et modice fortiter seriato-pilosi; pili in latere inferiore exteriore femorum anteriorum siti (circiter 7) reliquis non multo fortiores; patellae in apice et tibiae supra pilis singulis fortioribus instructae, pili patellarum diametro earum breviores, pili tibiarum anteriorum circiter diametro aequales, posticarum eâ non multo longiores, in tibiis I. basi propius quam medio, in IV. circiter in $^1/_3$ longitudinis siti. Pili „acustici" metatarsorum I. circa in $^2/_5$ longitudinis iacent; metatarsus IV. caret pilo acustico. Ungues principales pedum I. dentibus ornati aliquot, quorum etiam maximi non multo longiores videntur quam ungues lati, et multo minores sunt quam unguis pars apicalis non dentata. Pedum I. femur 0·47, patella 0·20, tibia 0·32, metatarsus 0·34, tarsus 0·28, pedum II. partes: 0·44, 0·19, 0·29, 0·31, 0·26, pedum III: 0·39, 0·15, 0·26, 0·29, 0·26, IV: 0·53, 0·18, 0·42, 0·37, 0·29 mm. longae. *Abdomen* mamillis exclusis 0·95 longum, 0·6 latum, paene ellipticum, postice leviter acuminatum, mamillis prominentibus, longe pilosum. *Epigyne* (tab. I. fig. 21) magna, sat fortiter elevata, insigniter in transversum et in longitudinem convexa, in sinum excisa maximum, paene semicircularem, septo alto dimidiatum; septum e lamellâ constat tenui, marginibus inaequabiliter incrassatis sive dilatatis: inferiore in medio modice, anteriora et posteriora versus autem sensim paullo fortius, antice in marginem anticum sinus abeunti; margo septi superior adeo fortiter dilatatus est, ut lamellam formet fortiter concavam, lateribus rotundatis, quae partem maiorem fundi sinus tegit.

Cephalothorax fuligineo-niger aut rufo-fuligineus marginibus nigris, mandibulae et sternum colore cephalothoracis, pedum coxae obscure umbrinae aut fuligineae, reliquae pedum partes et palpi pallidius aut obscurius umbrina, colore rufo-flavo plus minusve suffusa, femora reliquis partibus modo parum modo insigniter pallidiora, tibiae basi annulo pallido evidentiori non ornatae. *Abdomen* nigrum.

Styloctetor (?) austriacus n. sp.

Femina.

Cephalothorax 0·85 mm. longus, 0·73 latus, desuper visus piriformis, supra palporum basim 0·50 latus et non profunde quidem, manifeste tamen sinuatus, sub serie secundâ oculorum, quae 0·32 longa est, 0·40 latus; latera partis cephalicae anteriora versus modice inter se appropinquant, cum fronte, quae in medio recta est, in arcus latissimos confluunt; postice cephalothorax in arcum excisus est mediocriter profundum, valde latum, qui supra medias fere coxas IV. cum lateribus cephalothoracis utrimque in angulum sat late rotundatum confluit. Dor-

sum cephalothoracis manifeste divisum in declivitatem posticam, longam, modice adscendentem, et partem anteriorem, cum illâ arcu latissimo coniunctam, quae anteriora versus primo perparum, rectâ fere lineâ (levissime sinuatâ) adscendit, tum a puncto summo, quod ab oculis posticis mediis circiter longitudine areae oculorum mediorum distat, fortius descendit usque ad oculos anticos medios et arcum format paene aequabilem, oculis mediis posticis paullo interruptum, quum a latere adspicitur. Clypeus a latere adspectus fere rectus, levissime modo proiectus. Levis maximam partem, nitidus, glaber est cephalothorax, supra margines modo et in clypeo obsolete reticulatus, in lineâ mediâ partis cephalicae et inter oculos et sub eis pilis paucis instructus. Impressiones cephalicae profundae, sed parum definitae, dorsum versus evanescentes; impressiones radiantes partis thoracicae vix ullae; declivitas postica impressione ornata rotundatâ, sat latâ, perparum definitâ, et in eâ sulco medio brevissimo, adeo parum expresso, ut difficilius conspiciatur; in utraque parte huius impressionis mediae, margini postico paullo propius, fovea iacet minor et minus expressa. Directo desuper adspecti *oculi* antici spatiis subaequalibus parvis distare videntur a margine cephalothoracis, postici seriem formant paullulum recurvatam, subaequales sunt, medii inter se paullo plus quam diametro, a lateralibus circiter diametro distant; series anterior recta, oculi medii posticis mediis non multo minores, inter se circiter $^1/_3$ diametri, a lateralibus, qui insigniter maiores sunt, paullo minus quam diametro remoti. Area oculorum mediorum paullulum longior quam latior postice, hic diametro oculi latior quam antice; clypeus paullo humilior quam area oculorum mediorum longa, aeque altus atque dimidia series antica oculorum longa. *Mandibulae* duplo longiores quam clypeus altus, paullo reclinatae, sat fortiter reticulatae, modice nitidae, pilis dispersis brevibus instructae, apice intus rotundato angustatae, in sulci unguicularis margine antico dentibus 5 (et 6-to minuto, denti quinto proximo), in postico dentibus minoribus 4 aut 5 armatae. *Maxillae* modice in labium inclinatae, margine apicali, qui paullo obliquus est, bene a latere exteriore distincto, basi in latere exteriore modice dilatatae. *Labium* plus duplo latius quam longius, rotundato-trapezicum, pone basim fortiter transverse impressum. *Sternum* aeque longum ac latum, laeve nitidum, punctis impressis pilos gerentibus paucis instructum, praesertim margines versus, postice usque ad marginem posticum coxarum IV. productum, sursum curvatum, truncatum et elevato-marginatum; coxae IV. inter se non multo minus quam longitudine suâ distant. *Pedes* modice longe seriato pilosi; patellae ad apicem, tibiae anteriores circiter in $^1/_4$ et $^5/_7$ longitudinis, tibiae III. circiter in $^1/_4$, IV. circiter in $^1/_3$ pilis ornatae fortioribus, quam diameter articuli insigniter aut multo (in tibiis IV. duplo

saltem) longioribus; metatarsi 6 anteriores pilo „acustico“ instructi, qui in metatarso I. fere in mediâ longitudine iacet; metatarsi IV. carent pilo simili. Unguiculi principales tarsorum I. dentibus parvis confertis ca. 6 ornati, parte apicali inermi longa. Pedum I. femur 0·66, patella 0·26, tibia 0·55, metatarsus 0·49, tarsus 0·41, pedum II. partes: 0·60, 0·23, 0·46, 0·45, 0·37, pedum III.: 0·54, 0·21, 0·39, 0·41, 0·34, IV.: 0·73, 0·22, 0·60, 0·55, 0·39 mm. longae *Abdomen* 1·4 longum, 1·0 latum, ovatum, cute molli tectum, longe pilosum. *Epigyne* (tab. I. fig. 25) ca. 0·3 lata, 0·23 longa, fere semicircularis, margine postico leviter rotundato, modice convexa; in parte anteriore ligulâ instructa corneâ, parvâ, latiore quam longiore, angulato-semicirculari, deorsum et retro directâ; inter hanc ligulam et marginem posticum epigyne sulcis ornatur duobus, in parte anteriore profundis et latis, fere parallelis (anteriora versus paullulum a se discedentibus), in posteriore minore vadosis, foras et retro directis, a se itaque cito discedentibus; pars epigynae sulcis inclusa anterior septum format angustum, in pariete postico ligulae supra dictae initium capiens, obtusum, paullo humilius quam partes epigynae laterales.

Cephalothorax rufescenti-umbrinus, margine nigricanti, ornatus in parte cephalicâ posticâ maculâ obscuriore, forma varianti, nonnunquam fere nullâ, cum oculis lateralibus posticis lineis leviter incurvis, nonnunquam indistinctis coniunctâ; oculi colore nigro cincti, antici medii in maculâ nigrâ siti; mandibulae et sternum colore cephalothoracis. Palpi et pedes rufo-flavidi, pedum tibiae basi annulo pallidiore modice expresso ornatae, femora patellae tibiae summo margine apicali plerumque nigricanti. *Abdomen* umbrinum.

Mas.

Cephalothorax 0·81 mm. longus, 0·68 latus, supra palporum basim 0·45, sub serie secundâ oculorum, quae 0·28 longa est, 0·39 latus, lateribus inter partem cephalicam et thoracicam vix sinuatis, lateribus partis cephalicae anteriora versus paullo fortius quam in feminâ inter se appropinquantibus, fronte sat fortiter rotundatâ, cum lateribus angulos nullos evidentiores formanti. Dorsum cephalothoracis arcu parum curvato et parum inaequabili adscendit a margine postico usque ad punctum summum, quod pone oculos posticos medios iacet, ab eis duplâ fortasse diametro remotum, supra eos parum elevatum; a puncto summo dorsum anteriora versus descendit primo (usque ad oculos) leviter modo, tum fortius, ita ut area oculorum mediorum cum parte pone eam sitâ angulum formet sat evidentem, quum a latere adspicitur. Clypeus leviter excavatus, leviter proiectus. Impressiones in declivitate dorsi posticâ minus quam in feminâ distinctae, sulcus medius nullus. *Oculi* directo desuper adspecti paullulum longius distare videntur a margine

cephalothoracis quam in feminâ (antici medii paullo longius quam radio, antici laterales circiter radio); series oculorum posterior leviter recurvata: margines postici mediorum cum punctis mediis lateralium lineam designant subrectam, medii inter se fere sescuplâ diametro, a lateralibus diametro suâ distant; series anterior paullulum recurvata, marginibus inferioribus oculorum lineam designantibus paene rectam, levissime modo sursum curvatam, oculi medii posticis mediis parum minores. Clypeus aeque altus atque area oculorum mediorum longa. *Maxillae* fortius quam in feminâ in labium inclinatae, basi extus fortius dilatatae, ita ut latus earum exterius cum margine apicali angulum evidentiorem non formet et palpi parti exteriori lateris anterioris adnati videantur, quum cephalothorax directo ab imo adspicitur. Apex *sterni* posticus angustior quam in feminâ: coxae IV. paullulum minus quam latitudine suâ inter se distant. *Palporum* (tabula I. fig. 22, 23, 24) pars femoralis formâ ordinaria; pars patellaris sescuplo saltem longior quam latior, lateribus fere parallelis; pars tibialis supra in lineâ medianâ aeque circiter longa atque patellaris, sescuplo quam ea latior, a basi apicem versus modice et in utroque latere fere aequaliter dilatata, apice in universum modice oblique truncata, in latere exteriore inferiore brevior quam in reliquis, processibus brevibus quinque ornata: infra in parte interiore in dentem brevem obtusum producta; latus apicis interius superius modice in lobum inaequabiliter rotundatum productum; in latere exteriore apicis dens conspicitur brevis acutus; supra in parte exteriore apex in sinum impressus est rotundatum, utrimque dente nigro acuto finitum; horum exterior longior, spina potius dicendus, anteriora versus et paullo deorsum directus, leviter foras et deorsum curvatus; interior complanatus, anteriora versus et paullo foras directus, lobo supra commemorato, in latere interiore iacenti, proximus. Lamina tarsalis paullo longior quam pars patellaris cum tibiali processibus inclusis, paene sescuplo longior quam latior, insigniter asymmetrica, basi in latere exteriore late et oblique truncata, quum desuper adspicitur, paullo ante medium (basi propius) latissima, inde apicem versus sat fortiter in latere exteriore angustata, apice paullo oblique rotundato-truncata; re verâ lamina tarsalis in parte exteriore basali, quae desuper truncata videtur, insigniter impressa est. Paracymbium mediocre, semilunare, in hamulum recurvatum desinens, paene planum. *Bulbus genitalis* valde inaequalis, e lobis tribus et processibus aliquot compositus. Lobus primus quum ab imo adspicitur, marginem bulbi format externum posteriorem, antice parum ultra mediam longitudinem pertinet, oblique positus videtur, magis in longitudinem quam in transversum directus, angustus, anteriora versus leviter dilatatus. Lobus secundus, cum latere interiore lobi primi

contingit, in parte bulbi exteriore fere usque ad apicem laminae tarsalis pertinet, ab eâ tamen spatio sat lato distat, apice valde oblique truncatus est: margine apicali anteriora versus et foras directo, in marginis huius parte exteriore laciniâ membranaceâ ornatur; in latere interiore lobus hic in sinum adeo magnum excisus est, ut ad limbum corneum angustum redactus evadat, qui partem interiorem baseos bulbi format et in latere interiore usque circiter at mediam longitudinem laminae tarsalis productus, sensim angustior, in alveolum descendit. Sinus lobi secundi in parte posteriore et exteriore lobo tertio repletur, corneo sat lato, fortiter curvato (in latere anteriore profunde excavato); anteriora versus lobus tertius non tam longe pertinet atque lobus secundus; pars eius antica membranacea est. In cavo magno, quod restat inter lobum tertium et marginem interiorem laminae tarsalis, embolus initium capit, cum latere interiore lobi tertii contingens et ei fortasse adnatus, longus valde; e basi, quae profunde sita est, embolus — taeniam corneam crassiusculam formans — primo deorsum descendit, tum retro, sursum, anteriora versus curvatur fere in circulum, qui in longitudinem et ad perpendiculum fere directus est; cuius circuli pars modo inferior anterior in superficie bulbi conspicitur, reliquae partes autem in profundo iacent; protinus embolus concavitatem alveoli sequitur, denique sub apice laminae tarsalis emergit, ultra quem insigniter productus est, anteriora versus et deorsum directus, deorsum et denique retro curvatus atque paullo flexuosus. In parte bulbi apicali exteriore processus duo alii iacent, cum embolo contingentes: quorum alter membrana est pellucida oblonga, quae lobo secundo bulbi adnata videtur (?), in latere exteriore partis apicalis emboli iacet et ultra eam non prominet, quum bulbus a latere adspicitur; alter processus fasciam corneam latam format, inter lobum secundum et laminam tarsalem conspicitur in palpo a latere adspecto, sigmoideus, pone basim sursum, apice deorsum curvatus, apice acuminatus, ultra apicem laminae tarsalis minus longe quam embolus productus. *Pedum IV.* coxae apice in latere postico in dentem brevem latum acutum productae[1]). Pedum I femur 0·70, patella 0·23, tibia 0·58, metatarsus 0·55, tarsus 0·45, pedum II. partes: 0·62, 0·21, 0·52, 0·47, 0·41, pedum III.: 0·53, 0·21, 0·42, 0·44, 0·31, IV.: 0·76, 0·21, 0·63,

---

[1]) Quamquam coxae IV. simili sunt formâ atque in mare *Styloctetoris brocchi* (L. Koch), organo stridulationis eo, quod nuperrime descripsit Cel. G. H. Carpenter (Natural Science, No. 75, May 1898, p. 319), carere videtur *Styloctetor austriacus*; scuta pulmonalia maris enim modo omnium subtilissime transverse striata sunt et similia atque in feminâ. — Organo stridulationis simili atque in *Styloctetore broccho* ornatur mas *Mecynargi longi* (Kulcz.).

0·60, 0·39 mm. longae. Pedes similem in modum atque in feminâ pilis fortioribus ornati videntur; pilus „acusticus“ metatarsi I. circiter in $^2/_5$ longitudinis situs. *Abdomen* 1·2 longum, 0·8 latum, ellipticum, postice acuminatum, cute molli tectum.

Mas *colore* similis est feminae; palporum partes tibialis et tarsalis reliquis paullo obscuriores.

Generi *Styloctetori* (E. Sim.) speciem hanc subiungo, quoniam imprimis *Styloctetori broccho* (L. Koch) affinis mihi videtur.

Lophomma (?) laudatum (Cambr.).

Walckenaëra laudata O. P. Cambridge 1871, The Spiders of Dorset, p. 594. — *Neriene laudata* O. P. Cambridge 1882, Notes on British Spiders, with Descriptions of three new Species and Characters of a new Genus. (Ann. a. Magaz. of Natural History, Ser. 5, vol. IX.) p. 7, tab. 1; fig. 3. — *Lophomma laudatum* E. Simon 1884, Les Arachnides de France, v. 5, p. 539, fig. 341, 342.

Mas huius speciei ad notas, quas ad distinguenda genera *Theridioidarum* Hungaricorum adhibui, cum *Troxochro* convenit (metatarsus IV. pilo „acustico“ caret, pars patellaris palporum inermis, pars tibialis processibus insigniter supra laminam tarsalem productis caret, lamina tarsalis non carinata, pars cephalica tuberibus non ornata, sternum et cephalothorax reticulata, oculi mediocres, mandibulae apice intus rotundato-angustatae) differt autem ab eo serie anticâ oculorum modice procurvâ. Ab omnibus mihi notis *Erigoninis* distinguitur haec species facile formâ paracymbii valde peculiari, ab Auctoribus non descriptâ, quamquam a Rev. O. P. Cambridgio in figurâ 2d tab. 1. (Ann. a. Mag.) indicatâ (non satis accurate quidem). Paracymbium (tab. I. fig. 26) ipsum parvum est, seminulare, sed e parte suâ inferiore processum emittit quam ipsum multo maiorem, qui calcaris curvati instar, in palpo inflexo cum latere exteriore inferiore partis tibialis contingit et usque ad eius medium saltem pertinet. Calcar hoc in figurâ commemoratâ nimis longum delineatum est et ad partem tibialem palpi potius quam ad tarsalem pertinere videtur. Figura 2e l. c. bulbum genitalem paullo distortum repraesentare videtur.

Walckenaëra furcillata (Menge).

Phalops furcillatus Menge 1869, Preussische Spinnen p. 220, t. 120. — *Walckenaëra furcillata* Cambridge 1874, On new and rare British Spiders cet. (Trans. Linn. Soc. London, v. 28) p. 548, t. 46, f. 18. — Id. 1881, The Spiders of Dorset, p. 510, 594. — *Erigone furcillata* Dahl. 1883, Analytische Bearbeitung der Spinnen Norddeutsch-

lands (Schrift. naturwiss. Vereins Schleswig-Holstein, 5 Bd.) p. 34. — *Diplocephalus furcillatus* Förster & Bertkau, Beiträge zur Kenntniss der Spinnenfauna der Rheinprovinz (Verhandl. naturh. Verein. preuss. Rheinl, u. Westf., 40 Jhg.) p. 236, 228, 270. — *Tigellinus furcillatus* E. Simon. Les Arachnides de France, v. 5, p. 839, f. 770—773.

Armaturâ unguiculorum tarsalium, pili „acustici" in metatarso IV. situ (fere in $^2/_3$ longitudinis) cet., species haec convenit cum *Walckenaëris*; mas formâ partis cephalicae, ab Auctoribus affatim descriptâ, facillime distinguitur ab omnibus huius generis speciebus. Feminae, quam huius speciei esse censeo, series oculorum anticorum recta, margines postici oculorum posticorum lineam designant rectam, quum desuper adspiciuntur; dorsum cephalothoracis posterius excavatum, anterius convexum; a feminis similibus [*W. capitone* (Westr.), *W. obtusa* (Blackw.)] differt *W. furcillata* praeter alia formâ epigynae (tab. I. fig. 33): paries epigynae inferior paullo ante marginem posticum impressione ornatur transversâ, melius in lateribus quam in medio expressâ; eiusdem parietis margo posticus in sinum excisus est parum profundum, aeque circiter atque labium latum, sub quo sinu epigyne in latere postico foveâ ornatur transversâ, modice recurvatâ, quae melius paullo a parte posteriore perspicitur quam ab inferiore; margo posticus huius foveae utrimque tenuis corneus est, in medio autem dilatatus in foveam ingreditur et tubercula duo transversa cornea nitida flavida disiungit, quibus partes laterales foveae replentur.

Tigellinum, genus a Cel. E. Simonio a. 1884 institutum, coniungendum censeo cum generibus: *Walckenaëra* (Blackw.), *Wideria* E. Sim., *Prosopotheca* E. Sim., *Cornicularia* (Menge), quae etiam teste Cel. Simonio inter se parum differunt et difficilius distinguuntur (Cfr. Histoire naturelle des Araignées, edit. 2, v. I. p. 625).

Walckenaëra saxicola Cambr., quam Cel. E. Simon generi *Tigellino* subiunxit, parum affinis est *Walckenaëris* et inter *Trichoncos* apte collocata videtur.

Walckenaëra unicornis Cambr.

Walckenaëra unicornis O. Cambridge 1861. Discriptions of ten new species of spiders recently discovered in England (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 3 ser. v. VII) p. 437. — Blackwall 1864. A History of the Spiders of Great Britain and Ireland, p. 293, f. 207. — *Micryphantes stylifer* Ohlert 1867. Die Araneiden oder echten Spinnen der Provinz Preussen, p. 54, 66. — *Cornicularia monoceros* Menge 1869. Preussische Spinnen, p. 226, t. 125. — *Cornicularia unicornis* E. Simon 1884. Les Arachnides de France, v. V, p. 846, f. 780—782.

Unguiculi pedum in hac specie ut in aliis *Walckenaëris* pectinati sunt, pilus „acusticus“ metatarsi IV. in mare circiter in $^3/_5$, in feminâ in $^2/_3$ longitudinis situs est. — Feminae series oculorum anterior recta, oculorum posteriorum margines postici lineam designant procurvam; dorsum cephalothoracis a margine postico usque ad oculos arcum format parum inaequabilem. Epigynae (tab. I. fig. 29) pars media sulco acuto antice et in lateribus definita, paullo longior quam latior, totam fere longitudinem epigynae occupat, cornea est, convexa, supra partes vicinas paullulum elevata, lateribus leviter rotundatis aut fere rectis, modo in universum fere parallelis, modo posteriora versus inter se paullo appropinquantibus, postice late rotundata, antice in sinum profundum excisa. — Mas similis est imprimis *Walckenaërae Kochii* (Cambr.), ut haec inter oculos medios processu ornatur parvo, erecto, apice dilatato et supra in longitudinem sulcato; palporum pars tibialis (tab. I. fig. 28) etiam similis, supra processibus duobus longis ornata, a basi anteriora versus et paullo foras et sursum directis, circiter usque ad medium inter se contingentibus aut proximis saltem; processus interior sive inferior, qui ut in *W. Kochii* in latere interiore pone basim dente acuto ornatur, convexitatem laminae tarsalis sequitur, ceterum autem paene rectus est; processus exterior apicem versus ab interiore subito discedit foras et anteriora versus et deorsum directus, non procul ab apice subter in latere antico leviter dilatatus est, ramo illo, quo processus respondens *W. Kochii* in latere exteriore instructus est (tab. I. fig. 27), foras et deorsum directo, caret.

Trichoncus scrofa E. Sim.

Trichoncus, quem *Tr. scrofam* E. Sim. appellavi, fortasse plane alia species est, si quidem Cel. E. Simon palpum *Tr. scrofae* recte delineavit in: Les Arachnides de France, v. V. p. 467, f. 242. Palpum maris a Cel. B. Kotula in Austria inventi, quem sine dubitatione *Tr. scrofae* Hungarico subiungo, non possum ita ante oculos ponere, ut figura commemorata cum eo conveniat. Minus discrepat mas hic a descriptione Cel. E. Simonii, quam ob rem nomen „*scrofa*“, quamquam dubium, in praesens tempus retineo. Pars tibiatis (tab. I. fig. 30) exempli nostri a basi fortiter campanulato dilatata est, processibus duobus ornatur; processus exterior brevis et valde latus, totum latus exterius occupat et partem exteriorem lateris superioris (subter pars tibialis apice oblique truncata est, versus latus exterius sensim longior, ita ut processus, de quo agitur, infra nullo sinu aut incisurâ evidentiori definiatur); desuper adspectus processus hic anteriora versus et foras directus videtur, neque anteriora versus, ut in figurâ E. Simonii, apice minus oblique quam

in figurâ hac truncatus, angulo interiore bene expresso quidem, sed non producto. Alter processus tibialis in latere interiore situs est, longus valde, angustus, basi intus et paullo anteriora versus directus, anteriora versus, denique foras et paullulum retro curvatus; ubi anteriora versus curvatur, subter leviter angustatus est ita, ut dente obtuso, parum perspicuo ornetur; ceterum ubique aequali est latitudine, apice paullo oblique truncatus. Lamina tarsalis apicem versus modice angustata videtur, lateribus paullulum excavatis, apice truncata angulis rotundatis, quum desuper et paullo a latere interiore adspicitur. Inter processus tibiales lamina tarsalis carinâ acutâ ornatur, processui interiori fere parallelâ et apicem eius fere attingenti. Bulbus genitalis similis atque in *Tr. affini* Kulcz.

Hylyphantes nigritus (E. Sim.)

Erigone nigrita E. Simon 1882. Descriptions d'Arachnides nouveaux du genre Erigone (Bull. Soc. zool. France p. l'a. 1881). p. 223. — *Hylyphantes nigritus* E. Simon 1884. Les Arachnides de France, v. V. p. 464.

Cel. E. Simon *Hylyphantam*, genus a se ipso a. 1884 institutum, postea cum *Porrhommate* coniunxit[1]), quod probare non possum. Speciem typicam generis *Porrhommatis: P. Proserpinam* E. Sim. non novi quidem; in speciebus ei maxime affinibus, quas vidi (*P. Egeria* E. Sim., *P. erranti* (Blackw.), *P. microphthalmo* (Cambr.), *P. pygmaeo* (Blackw.)), tibiae anteriores in utroque latere aculeo 1 ornantur, neque inermes sunt, ut apud Cel. E. Simonium l. c. p. 697 legimus; femora antica saltem aculeo 1 armantur. Species, quae aculeis lateralibus in tibiis anterioribus carent, a propriis *Porrhommatibus* segregandae mihi videntur et aliis subiungendae generibus, ut iam in „Araneae Hungariae" proposui (*Porrhomma glaciale* (L. Koch) generi *Micronetae*, *P. montigenum* (L. Koch) *Hilairae*, *P. adipatum* (L. Koch) *Macrargo* adscribenda censeo). Pedum armaturâ differt *Hylyphantes nigritus* non solum a *Porrhommatibus* propriis sed etiam a *Linyphieis* plerisque, ab illis tibiis anterioribus supra solum aculeis 1.1, neque in lateribus, ornatis et femoribus inermibus, ab his tibiis posterioribus supra aculeo unico instructis. Genus hoc itaque sustentandum et *Erigoneis* potius quam *Linyphieis* adscribendum censeo.

Hylyphantes nigritus habitu similis est quidem *Lephthyphantis* et *Bathyphantis* quibusdam, quod tamen attinet notas, quibus in tabulâ synopticâ *Theridiidarum* Hungaricorum usus sum, femina cum *Gongylidio*, mas cum *Neriena* (= *Kulczyńskiella*) convenit. A *Gongylidio nigri-*

[1]) Histoire naturelle des Araignées, ed. 2., v. 1. p. 701.

canti differt femina *Hylyphantae* praeter alia areâ oculorum mediorum postice vix quartâ parte, sive multo minus quam diametro oculi latiore quam antice, quum area haec in *Gongylidio* postice dimidio sive totâ diametro oculi latior sit quam antice. Maris *Hylyphantae* patellae anticae quartam partem tibiarum longitudinae non superant, in *Kulczyńskiellis* mihi notis *(agresti* (Blackw.), *apicato* (Blackw)., *fusco* (Blackw.), *gibbifero* (Kulcz.), *gibboso* (Blackw.), *retuso* (Blackw.), *tuberoso* (Blackw.)[1]), patellae I. tertiâ parte tibiarum constanter non breviores sunt.

Epigyne (tab. I. fig. 34) posterius in medio sat profunde et late in longitudinem impressa est, et utrimque in tuberculum elevata intus modo et postice bene, antice autem et in latere exteriore parum definitum, rotundatum; apicem totum tuberculorum foveola occupat sat profunda, rotundata, — in exemplis nostris saltem. — Palpi maris (tab. I. fig. 31, 32) parte patellari duplo longiore quam in medio lata est, a basi apicem versus levissime dilatata; pars tibialis dimidiam patellarem longitudine parum superat, pone basim multo angustior et apice non latior est saltem quam apex partis patellaris, quum desuper adspicitur, aeque longa atque apice lata, apicem versus leviter modo dilatata; margo eius apicalis in sinus duos non profundos excisus, quorum alter, minor, paullo inaequilaterus, supra in parte interiore iacet, alter latior et fere aequilaterus totum latus interius occupat. Paracymbium latum, bulbo genitali adpressum, facile pro parte bulbi ipsius haberi potest; lamina tarsalis in margine exteriore pone basim in sinum profundum impressa. Bulbus genitalis a latere exteriore visus prope apicem processu ornatur corneo, anteriora versus et deorsum directo, leviter sursum curvato, latitudine aequali, apice obtuso; aliam partem insignem bulbi processus format in apice fere medio situs, anteriora versus et paulo deorsum et intus directus, crassus corneus niger, in cochleam contortus.

Centromerus vindobonensis n. sp.

Femina.

Cephalothorax 1·2 mm longus, 0·96 latus, ad palporum basim, ubi leviter modo sinuatus est, 0·62 latus, fronte 0·42 latâ, omnium subtilissime reticulatus, nitidus; dorsum supra sublibratum et parum inaequale, antice oculos versus leviter descendens, posterius levissime excavatum.

---

[1]) *Kulczyńskiellum tuberosum* (Blackw.), quod secundum Cel. E. Simonium transitum format inter *Nerienam* et *Trachygnatham* (Hist. nat., 2 edit., p. 634), mandibulis maris dente in dorso ornatis ad *Trachygnatham dentatam* (Wid.) accedit quidem, ceterum tamen propter clypeum non reclinatum et secundum palporum maris et epigynae fabricam manifesta et non dubia species generis „*Kulczyńskiellum*" mihi videtur.

Area *oculorum* 0·40 lata, series posterior leviter procurva, oculi magni, fere aequales, inter se paullulum plus quam radio remoti; series anterior modice procurva: marginibus superioribus oculorum lineam designantibus levissime procurvam; oculi medii posticis mediis circiter $^1/_4$ (in diametro) minores, intervalla subaequalia, radio oculorum mediorum fortasse paullulum minora; area oculorum mediorum postice non totâ diametro oculi latior quam antice et parum latior quam longior. *Clypeus* sub oculis mediis paullo humilior quam area horum oculorum longa, perparum in longitudinem excavatus et parum proiectus. *Mandibulae* clypeo duplo et dimidio longiores, ut cephalothorax reticulatae et nitidae, apice intus rotundato angustatae, ornatae in sulci unguicularis margine antico dentibus fortibus 3 late distantibus, in angulo et in margine apicali sitis, postice vero in margine apicali denticulis minutis ca. 6 inter se proximis. *Maxillae* lateribus exterioribus fere parallelis. *Sternum* pilis dispersis ornatum, fere laeve, nitidum. *Femora* I. aculeis duobus, supra et in latere antico, femora II. aculeo 1 supra, patellae omnes in apice aculeo 1, tibiae omnes supra aculeis 1.1 ornatae (aculei hi in pedibus anterioribus longitudine et crassitudine minus a pilis differunt, quam in pedibus posterioribus), tibia I. in latere antico paullo pone medium aculeo 1 instructa. Pedum I. femur ca. 1·1, patella 0·39, tibia 1·0, metatarsus 0·88, tarsus 0·62, pedum II. partes: ca. 0·9, 0·36, 0·88, 0·81, 0·54, pedum III.: ca. 0·85, 0·32, 0·70, 0·71, 0·45, IV.: ca. 1·2, 0·36, 1·20, 0·98, 0·52 longae. *Abdomen* 1·9 longum, 1·3 latum, formâ vulgari, modice longe pilosum. *Epigyne* (tab. I. fig. 35, 36) insigniter retro producta, processum format latum, deplanatum, rugosum, ventri parallelum, qui quum ab imo adspicitur, trianguli formam fere habet lateribus paullulum sinuatis, apice rotundato et in apiculum breve rotundatum producto; subter in parte apicali processus hic anguste excisus est in longitudinem et „clavum“ continet angustum excavatam, marginibus elevatis.

Cephalothorax rufo-flavus, colore umbrino sat fortiter suffusus, margine nigricanti, ornatus in parte cephalicâ posticâ maculâ umbrinâ, cum oculis posticis lateralibus lineis subrectis coniunctâ, modice expressâ; oculi postici medii colore nigro cincti, laterales bini et antici medii in maculis nigris siti. Mandibulae colore cephalothoracis, palpi et pedes eo paullo pallidiores, sternum umbrinum, obscurius marginatum. *Abdomen* obscure umbrinum.

Mas ignotus.

Micryphantes equester (? L. Koch).

? *Erigone equestris* L. Koch 1884. Beschreibungen neuer von Herrn Dr Zimmermann bei Niesky in der Oberlausitz entdeckter Arachniden (Abhandl. naturf. Gesellsch. Görlitz, v. 17) p. 48. f. 3.

Micryphantes, quem *equestrem* L. Koch esse censeo, insignis est processu, quo basis laminae tarsalis (tab. I. fig. 39, 40, 41) in latere interiore infra ornatur, magno, in universum conico, retro et paullo intus directo, a basi usque ad medium modice attenuato, a medio, ubi leviter sursum fractus est, crassitudine fere aequali, apice obtuso. Laminae tarsalis pars basalis externa, mobilis, sive paracymbium, ita ab ea abscissa est, ut pars tibialis cum lamina tarsali propriâ in latere interiore palpi contingat, in palpo desuper adspecto autem ab eâ paracymbio disiungatur (cfr. figuram 3 l. c. Dris L. Kochii, in quâ Auctor celeberrimus probabiliter e parte tarsali laminam tarsalem propriam solam, non vero paracymbium, neque bulbum genitalem delineare voluit). Apex partis tibialis supra in sinum latum non profundum excisus. Lamella bulbi genitalis, quae cum parte apicali adscendenti paracymbii contingit (cfr. tabulam synopticam *Micryphantarum* in op.: Araneae Hungariae, v. II. p. 87), basi lata, in latere exteriore subito angustata et in sinu hoc dente magno triangulari, anteriora versus et foras directo ornata; partis eius expicalis, angustioris, latus interius rectum, exterius late et paullo inaequabiliter arcuatum, apex acutus.

A *Micryphantis*: *cornigero* (Blackw.) et *retroverso* (Cambr.) differt *M. equester* processu laminae tarsalis non supra sed in latere interiore sito.—Valde affinis est *M. equestri M. gulosus* (L. Koch) sive *M. Grouvellei* (Cambr.), differt tamen processu laminae tarsalis ita curvato, ut in palpo desuper adspecto apice intus directus videatur (tab. I. fig. 37), et formâ lamellae bulbi genitalis cum paracymbio contingentis (tab. I. fig. 38); haec a basi, ut in *M. equestri*, in latere exteriore subito angustata est, dente tamen caret; pars eius angustior in latere exteriore dentibus corneis acutis duobus ornatur. In utraque specie metatarsi I. crassiores sunt quam II. et fusiformes, praesertim quum a latere adspiciuntur.

Micryphantes equester simillimus videtur *Nerienae sublimi* Cambr. (*Micronetae sublimi* F. Cambr.[1]), imo fortasse ab ea non differt, quod tamen e descriptionibus et imaginibus *Nerienae sublimis* ad hoc tempus in lucem editis decerni non potest.

Sintula (E. Sim.).

Species, quas generi *Sintulae* adnumero, nil sunt nisi *Micryphantae* in latere postico tibiarum anteriorum aculeo singulo ornati. Non convenit itaque *Sintula* noster cum *Sintula* Cel. E. Simonii, et novo nomine appellandus videtur; quum tamen systema *Linyphiinarum* longe

---

[1]) Fr. O. P. Cambridge, Descriptive Notes on some obscure British Spiders cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist. 1891. Jan.) p. 83.

nunc absit a perfectione et mutationes non laeves ei impedeant, nova nomina, quantum fieri potest, vitanda censeo, ut quae olim non parvâ ex parte synonyma sint evasura.

Sintula aërius (Cambr.).

Notandum censeo, *Sintulam*, quem *aërium* (Cambr.) appello, paullo discrepare a descriptionibus et figuris *Linyphiae aëriae* a Rev. O. P. Cambridgio editis. Dorsum *Sintulae aërii* nostri paullulum modo impressum est inter partes cephalicam et thoracicam, epigyne deorsum et retro, neque deorsum et anteriora versus directa, lamina tarsalis maris dorso evidenter angulato (cfr. figuram 36 b in.: Araneae Hungariae, v. II. tab. III) neque aequabiliter arcuato, quum a latere adspicitur Nihilominus dubitare non possum, quin *Sintula* hic vera sit *Linyphia aëria* Cambr., hoc enim nomine eum appellavit ipse Rev. O. P. Cambridge, qui precibus meis indulgens quindecim ante annis multas *Erigonas* et *Linyphias* a me in Poloniâ collectas, summâ cum liberalitate atque benevolentiâ examinavit. Exempla Anglica *Linyphiae aëriae* a Rev. O. P. Cambridge determinata, misit mihi lubentissime Cel. T. Thorell.

Sintula simplex n. sp.

Femina.

Cephalothorax 0·75 mm. longus, 0·54 latus, supra palporum basim, ubi leviter modo sinuatus est, ca. 0·36 latus, areâ oculorum 0·27 latâ, fronte cum lateribus partis cephalicae in arcum parum inaequabilem coniunctâ, serie oculorum anticorum, quorum laterales desuper adspecti marginem cephalothoracis attingere videntur, 0·26 longâ. Declivitas dorsi postica longa, pars anterior levissime anteriora versus adscendit, inter partem cephalicam et thoracicam levissime modo excavata; clypeus paullo proiectus, margo eius tamen, quum desuper adspicitur cephalothorax, non prominet ultra oculos anticos; subtilissime reticulatus est cephalothorax, sat nitidus. *Oculi* magni prominentes; series posterior paene recta, oculi medii lateralibus paullulum maiores, ab eis paullo minus, inter se insigniter minus quam diametro remoti; series anterior levissime recurvata, oculi medii posticis mediis parum minores, inter se fortasse $^1/_3$ diametri, a lateralibus paullo plus quam radio remoti. Area oculorum mediorum postice paullo plus quam radio oculi latior quam antice, parum longior quam latior; clypeus sub oculis mediis dimidiam longitudinem areae horum oculorum parum superat altitudine. *Mandibulae* clypeo circiter triplo longiores, subtilissime reticulatae, nitidae, apice oblique truncatae angulo late rotundato, ornatae in sulci unguicularis

margine antico dentibus fortibus 5, in postico dentibus parvis 4 inter se appropinquatis. *Maxillae* lateribus exterioribus sas fortiter anteriora versus inter se appropinquantibus. *Sternum* 0·47 longum, 0·39 latum, subtiliter reticulatum, modice nitens, usque ad marginem posticum coxarum IV. productum (quum directo a parte inferiore adspicitur), ita ut coxae hae circiter latitudine suâ inter se distent. *Pedum* I. femur 0·65, patella 0·22, tibia 0·58, metatarsus 0·52, tarsus 0·42, pedum II. partes: 0·57, 0·20, 0·49, 0·47, 0·36, pedum III.: 0·45, 0·18, 0·37, 0·39, 0·30, IV.: 0·65, 0·18, 0·58, 0·53, 0·36 longae. Patellae in apice aculeo 1, tibiae supra 1.1, anteriores etiam in dimidio apicali lateris postici aculeo 1 ornatae, reliquae partes inermes. Metatarsi 6 anteriores pilo „acustico" ornati, spatio non magno a basi remoto; metatarsi IV. carent pilo acustico. *Abdomen* 1·4 longum (mamillis exclusis), 0·75 latum, ovatum postice latius. *Epigyne* (tab. I. fig. 45, 46) magna, a latere visa processum format retro et deorsum directum, aeque circiter longum ac latum, a basi apicem versus modice angustatum, apice inaequabiliter rotundatum et apiculo rotundato ornatum; a parte inferiore adspecta epigyne posteriora versus modice producta in processum multo latiorem quam longiorem, margine postico late et parum inaequabiliter arcuato; processus hic, sat fortiter complanatus, apice in sinum excisus est transversum, aeque fere latum atque spatium a mamillis infimis occupatum, aliquoties latiorem quam longiorem, leviter procurvum; sinus huius margo anticus inaequalis est, in medio in angulum parvum excisus, utrimque leviter arcuatus procurvus, in parte extremâ arcuato cum margine laterali brevi incurvato coniunctus. Sinus lamellâ repletur convexâ, leviter procurvâ, quae a parte posticâ inferiore adspecta triplo saltem latior quam longior videtur, apice utroque rotundato, margine postico aequabiliter arcuato, antico autem in lobos tres rotundatos diviso, quorum medius lateralibus minor; a parte inferiore anticâ adspectus lobus medius lamellae paullo magis quam laterales prominet et in epigynâ a latere visâ apiculum illud format, quod supra commemoravimus.

Cephalothorax rufescenti-umbrinus, nigro marginatus, in parte cephalicâ posticâ plerumque maculâ ornatus obscuriore, lineas duas emittenti oculos laterales posticos versus aut etiam lineam mediam; oculi colore nigro cincti. Mandibulae colore cephalothoracis aut paullo obscuriores; palpi toti nigricantes aut parte tibiali et tarsali saltem colore nigro suffusâ; pedes rufo-flavidi; sternum umbrinum, colore rufo suffusum. *Abdomen* umbrinum, subter obscurius quam supra.

Mas (probabiliter huius speciei).

Cephalothorax 0·80 longus, 0·60 latus, supra palporum basim non evidentur sinuatus et 0·40 latus, areâ oculorum 0·28 latâ. *Oculi* postici

medii lateralibus evidentius maiores quam in feminâ, ab eis radio saltem, inter se ne radio quidem remoti; oculi medii antici posticis evidenter minores; area oculorum mediorum postice insigniter plus quam radio oculi latior quam antice, vix longior quam latior. Clypeus sub oculis mediis quam dimidia area horum oculorum paullo altior. *Mandibulae* clypeo non triplo longiores, circiter a $^2/_3$ longitudinis intus oblique truncatae et levissime excavatae, angulo parum rotundato, sulco unguiculari antice in angulo et prope eum dentibus tribus (et fortasse quarto minuto), postice prope angulum fortasse granulis duobus ornato, ceterum inermi et ad basim unguis modo antice et postice in dentem brevem latum dilatato, qui dentes a latere non conspiciuntur. *Palporum* (tab. I. fig. 42, 43, 44) pars femoralis basi in latere interiore denticulo parum perspicuo ornata, ceterum formâ ordinariâ; pars patellaris fere sescuplo longior quam latior, ad apicem setâ ornata aeque circiter atque dorsum partis tibialis longâ, sat forti, paene rectâ; pars tibialis supra circiter sescuplo longior quam patellaris, desuper visa quartâ parte saltem longior quam latior, a basi apicem versus modice, paullo campanulato dilatata, margine apicali in angulum fracto quam rectus paullo minorem, apice rotundatum, crure interiore magis in longitudinem directo et leviter arcuato, crure exteriore magis in transversum directo et paullo inaequali; dorsum partis tibialis apicem versum impressione ornatur latâ profundâ, anteriora versus et foras directâ, margini apicali interiori parallelâ, fundo versus eum marginem sensim adscendenti; in margine exteriore fovea haec margine valde praerupto, fortasse impendenti definitur, qui prope ab apice partis tibialis subito foras curvatus arcuato descendit et denique cum margine apicali in latere exteriore in dentem brevem deorsum fere directum coniungitur. A parte posticâ simulque paullo desuper et a latere interiore adspecta pars tibialis apice in dentes duos desinere videtur, quorum interior insigniter longior et angustior est quam exterior; a latere visa subter fortiter convexa est haec pars, dorso vero anteriora versus insigniter adscendenti et paene recto. Lamina tarsalis paullo longior quam dorsum partis patellaris cum tibiali, desuper visa fere triangularis apice late rotundato, latere interiore leviter arcuato, latere exteriore in angulum obtusum, apice rotundatum fracto, basi adeo obliquâ, ut cum parte basali lateris exterioris in arcum parum inaequabilem confluat; ad marginem exteriorem posteriorem lamina tarsalis impressione sat magnâ et profundâ sed parum definitâ ornatur, in latere interiore basi lobum deorsum directum emittit, in latere exteriore pone medium subito ita angustior fit, ut dente recto fere ornetur. Paracymbium magnum, in palpo desuper adspecto basis laminae tarsalis cum margine apicali partis tibialis in dimidio interiore solum

contingit, in exteriore ab eo parte paracymbii quadam disiungitur; pars paracymbii apicalis adscendens superius paullo anteriora versus directa, lata, extrinsecus leviter modo concava est, apice obtusa, margine antico paene recto, postico inaequabiliter arcuato; inferius margo anticus partis huius non latus reflexus est et rugosus. *Bulbus genitalis* magnus, implicitus, fabricâ simili atque ex. gr. in *Lephthyphantis*; lamella, quae „lamellae characteristicae" *Lephthyphantarum* respondet, cum margine antico partis adscendentis paracymbii contingens, oblonga lata, margine exteriore toto convexo (ut in *Sintulâ aërio*, neque basi dilatato, ut in *Micryphanta fuscipalpi*, *rurestri* cet.), cum margine interiore, qui rectus fere est et obliquus et paullulum inaequalis, in angulum mediocriter acutum coëunti; in latere interiore baseos lamella haec in aliam quandam lamellam bulbi abit, quae dentem magnum acutum gracilem, anteriora versus et intus directum simulat, quum bulbus a latere exteriore inferiore adspicitur; lamella cornea, prope a latere interiore bulbi sita, margini laminae tarsalis in universum parallela, totam bulbi longitudinem occupans, a latere interiore parum curvata videtur, pone medium in margine superiore dente obtuso ornata, apicem versus leviter dilatata, obtusa. Inter has lamellas bulbus valde inaequalis est et lamellis quibusdam ornatur difficilibus ad describendum. In parte anticâ exteriore bulbi lamella cornea iacet paene transverse posita, lata, angulo superiore exteriore in uncum latum brevem producto. Pedum I. femur ca. 0·73, patella 0·21, tibia 0·70, metatarsus 0·63, tarsus 0·47, pedum II. partes: ca. 0·68, 0·19, 0·60, 0·55, 0·41, pedum III.: ca. 0·54, 0·16, 0·42, 0·42, 0·32, IV.: ca. 0·76, 0·18, 0·70, 0·65, 0·39 longae. *Abdomen* 1·0 longum, 0·6 latum. Ceterum in marem quadrant ea, quae de formâ feminae diximus, mutatis mutandis.

Color idem atque feminae, palpi colore nigro suffusi.

Sintula affinis n. sp.?

Femina praecedenti speciei simillima, differt ab eâ fortasse oculis mediis posticis paullo maioribus (oculi hi lateralibus evidenter maiores esse, inter se paullo minus quam radio, a lateralibus paullo plus quam radio distare videntur) et imprimis formâ epigynae. Haec (tab. I. fig. 47, 48) processum format retro et deorsum directum, paullo latiorem quam longiorem, quum a latere adspicitur, apicem versus modice angustatum, apice truncatum, angulo antico rotundato, postico autem in apiculum parvum rotundatum producto. Minus deplanata est haec epigyne quam in specie antecedenti, apice in sinus duos excisa rotundatos, paullo obliquos, in parte posticâ interiore paullo angulatos, quum ab imo adspiciuntur. Sinus hi lamellis formâ eâdem

replentur, inter se septo disiunguntur paullo quam ipsae latiori, in longitudinem convexo, in transversum plano, postice leviter exciso in sinum minutum, quem occupat apiculum rotundatum, supra dictum. Sinus et septum coniunctim spatium occupant paullo angustius quam ambae mamillae infimae simul sumptae — Epigyne *Micryphantarum: rurestris* C. L. Koch, *fuscipalpis* C. L. Koch, *gulosi* (L. Koch) (*Grouvellei* (Cambr.)), *nigripedis* (E. Sim.) valde similes sunt epigynae *Sintulae affinis*, carent tamen apiculo prominenti et apice rotundatae videntur, quum a latere adspiciuntur.

Feminae cephalothorace 0·76 longo, 0·58 lato, pedum I. femur ca. 0·68, patella 0·23, tibia 0·63, metatarsus 0·60, tarsus 0·44, pedum II. partes: ca. 0·65, 0·21, 0·54, 0·52, 0·36, pedum III: ca. 0·55, 0·18, 0·40, 0·42, 0·33, IV.: ca. 0·71, 0·19, 0·65, 0·60, 0·39 longae, abdomen 1·4 longum, 0·9 latum.

Mas ignotus.

Sintula montanus n. sp.

Femina *Sintulae simplici* simillima, paullo maior, cephalothorace 0·83 mm. longo, 0·60 lato, supra basim palporum non evidenter sinuato, areâ oculorum 0·30 latâ. *Oculi* medii postici lateralibus evidenter maiores, ab eis paullo plus quam radio, inter se vix radio remoti, medii antici posticis evidenter sed non multo minores, inter se ca. $^1/_3$ diametri, a lateralibus circiter radio remoti; area oculorum mediorum plus quam radio oculi latior postice quam antice, aeque fere longa ac lata; clypeus in medio altitudine circiter $^3/_4$ areae oculorum mediorum aequat *Mandibulae* clypeo duplo longiores, apice intus rotundato angustatae. *Maxillae* lateribus exterioribus leviter appropinquantibus inter se anteriora versus. *Sternum* 0·47 longum, 0·42 latum. Pedum I. femur 0·76, patella 0·23, tibia 0·66, metatarsus 0·62, tarsus 0·49, pedum II. partes: 0·71, 0·22, 0·57, 0·54, 0·42, pedum III.: 0·62, 0·19, 0·45, 0·29, 0·32, IV.: 0·80, 0·23, 0·68, 0·63, 0·40 longae. *Abdomen* 1·4 longum, 0·9 latum. *Epigyne* (tab. II. 49, 50) a latere visa processum format crassum, retro et deorsum directum, pariete inferiore paullo excavato, apice truncatum angulis rotundatis. A parte anticâ inferiore adspecta epigyne trapezica fere, insigniter latior quam longior, apicem versus modice angustata, apice latiori quam ambae mamillae infimae simul sumptae, utrimque arcum formanti fortiter curvatum convexum, in medio in angulum exciso acutum, cuius fundus solus apiculo parvo rotundato repletur; pars enim apicalis epigynae sulco recurvato modice expresso definita in tubera duo elevata est in transversum fortiter convexa; apicem epigynae (quam a parte posticâ inferiore adspicias!) lamellae occupant

duae fere transverse (paullo oblique) positae, ovatae, in parte exteriore latiores, et ligulâ eis interiecta, multo angustior (apiculum supra dictum). Ceterum in speciem hanc ea quadrant, quae de femina *S. simplicis* diximus.

Bathyphantes gracilis (Blackw.).

Species haec paullo variare videtur pedum armaturâ: femora III. non semper inermia sunt, ut in tabulâ synopticâ *Bathyphantarum* Hungaricorum scripsi (Araneae Hungariae, v. II. p. 72 et 73), sed nonnunquam aculeo 1 armantur. A Cel. Fr. O. P. Cambridgio femora haec inermia describuntur[1]), a Cel. T. Thorellio[2]) et E. Simonio[3]) contra aculeata.

Bathyphantes mastodon E. Sim.

Bathyphantes cyaneonitens, quem secundum exemplum unicum in Tirolia captum descripsi[4]), synonymum certo est *B. mastodontis* E. Sim. Feminae subadultae in Austriâ cum maribus *B. mastodontis* captae simillimae saltem sunt *B. cyaneonitenti*; etiam epigyne, quantum fabrica eius per cuticulam, quâ obtegitur, conspici potest, non differre videtur ab epigynâ *B. cyaneonitentis*. Notandum tamen censeo, figuras 100 et 101 a Cel. E. Simonio editas in „Les Arachnides de France" v. V. p. 333, non bene quadrare in *B. cyaneonitentem* (cfr. figuram 46 nostram l. c. tab. VII.), cuius epigyne ventri adpressa est, in exemplis, quae vidi, saltem, neque ita erecta ut in fig. 101; a parte postica adspecta similis est ea quodammodo figurae 100, sed praeter lamellam mediam — multo angustiorem quam in hac figurâ — lamellas duas laterales ostendit, insigniter minores et angustiores, plus minus triangulares.

Mas non parum maior quam femina (illius cephalothorax fere 0·8, huius paullo plus quam 0·6 longus), formâ palporum valde insignis: lamina tarsalis supra eminentiis duabus maximis, conicis fere, sursum et retro directis ornata, quarum altera ad basim in parte interiore iacet, altera paullo minor, priori proxima, a basi magis remota et lateri exteriori paullo propior; margo interior laminae tarsalis profunde et late excisus. Bulbus genitalis (tab. II. fig. 51) lamellâ instructus maximâ, in parte interiore initium capienti, a basi intus et paullo retro directâ, aequabiliter fere in semicirculum anteriora versus curvatâ, apicem bulbi attingenti, latâ, sulco in longitudinem directo in partes duas divisâ, quarum interior paullulum brevior, apice obtusa, exterior acuminata.

---

[1]) New and obscure British Spiders. Ann. a Mag. Nat. Hist. ser. 6 v. X. 1892.

[2]) Remarks on Synonyms... p. 442.

[3]) Les Arachnides de France, v. V. p. 345.

[4]) Symbola ad faunam Arachnoidarum Tirolensem.

Lephthyphantes geniculatus n. sp.

Mas.

Cephalothorax 1·2 mm. longus, subtilissime reticulatus. Series posterior *oculorum* recta, oculi subaequales, inter se minus quam diametro remoti; series anterior modice recurvata, oculi medii lateralibus et mediis posticis insigniter minores, inter se fortasse $^1/_4$ diametri, a lateralibus diametro saltem remoti; area oculorum mediorum postice fere diametro oculi latior quam antice et aeque fere lata atque longa; clypeus medius aeque altus atque area oculorum mediorum longa. *Mandibulae* paullo plus duplo longiores quam clypeus altus, subtiliter reticulatae, apice intus sat longe truncatae et leviter modo rotundatae, ornatae in sulci unguicularis margine antico dentibus tribus. *Palporum* (tab. II. fig. 57, 58) pars femoralis formâ vulgari; pars patellaris desuper visa circiter $^1/_5$ longior quam latior, a latere adspecta aeque fere alta atque supra longa, fortiter enim incrassata est in conum, cuius apex duplo longius distat a basi quam ab apice partis; una cum hoc cono pars tibialis duplo altior quam basi et paullo plus duplo quam apice crassa est, eius dorsum inter basim et coni apicem leviter convexum, latus anticum coni autem rectum fere (levissime excavatum). Apex coni setâ instructus longâ, sat forti, leviter curvatâ. Pars tarsalis magna. Lamina tarsalis basi in latere interiore in tuber retro producta compressum, paullo oblique positum, apice paullulum latius quam basi, quum a latere adspicitur, et ita oblique truncatum, ut infra altius evadat quam supra; desuper et paullo a parte interiore adspectum tuber hoc apice levissime bilobum videtur; ceterum caret lamina tarsalis eminentiis evidentioribus. Paracymbium magnum, valde inaequale; eius lamina externa sive reflexa in margine superiore dente forti oblongo, sursum et anteriora versus directo ornata, qui dens a latere visus apicem versus parum inaequabiliter angustatus videtur, re vera in margine superiore intus ante medium dilatatus est in angulum acutum, qui desuper conspicitur. Pars paracymbii apicalis lata, non procul a laminâ externâ in tuberculum latum elevata, ceterum parum inaequalis. *Bulbus genitalis* fabricâ simili atque in *Lephthyphantis* plerisque; lamella characteristica mediocri longitudine, apicem bulbi longe non attingit, taeniam format parum latam, anteriora versus et foras directam, modice sigmoideam, cum parte paracymbii latâ contingentem, ab eius parte apicali sat late disiunctam, apice in uncum corneum, modice procurvum contractam. Cum basi lamellae characteristicae processus duo elongati coniunguntur, plus minus paralleli; eorum alter profundius situs aeque fere longus est atque lamella characteristica, apicem versus membranaceus, apice fimbriatus, alter insigniter brevior, apice oblique rotundato truncatus et minutissime denticulatus.

Pedum I. femora aculeo 1 brevi in lateris antici dimidio apicali armata, reliqua femora inermia; patellae omnes aculeo 1, tibiae supra 1·1, anteriores etiam in utroque latere in dimidio apicali aculeo 1, metatarsi omnes aculeo 1 instructi. Pedum I. patella 0·37, tibia 1·36, metatarsus 1·33, tarsus 0·91, pedum II. partes respondentes: 0·36, 1·23, 1·17, 0·78, pedum III.: 0·29, 0·78, 0·97, 0·62, IV.: 0·32, 1·40, 1·36, 0·78 mm. longae. *Abdomen* 1·4 longum, 0·8 latum, formâ vulgari.

Cephalothorax cum mandibulis palpis pedibus rufo-flavidus, nigro marginatus, oculi colore nigro cincti; sternum parum obscurius quam pedum coxae. *Abdomen* umbrinum.

Femina ignota.

Affinis est haec species *Lephthyphantae angulipalpi* (Westr.), sine negotio tamen ab eo distinguitur staturâ maiore et imprimis formâ paracymbii et lamellae characteristicae.

Magis quam *L. angulipalpis* verus similis est *L. geniculato Lephthyphantes* in Bavaria occurrens, cuius exempla duo, *L. angulipalpis* nominata, Cel. Dr. L. Koch benigne mihi olim misit lustranda. Huius *Lephthyphantae*, quem ***L. Kochii*** appello, paracymbium dente in margine lamellae replicatae et basis laminae tarsalis tubere apice levissime bilobo ornatur, ut in *L. geniculato*, sed lamella characteristica in dentes acutos duos desinit et locum processuum basi cum eâ connatorum, quorum supra mentionem feci, alius processus brevis apice bidentatus tenere videtur (cfr. figuras 52, 53, 54, secundum exemplum a Cel. L. Kochio communicatum olim delineatas).

Lephthyphantes angulipalpis Cel. E. Simonii differt a *L. geniculato* secundum descriptionem et figuras[1]) staturâ minore, metatarsis posterioribus inermibus, serie oculorum anticâ rectâ, paracymbii et lamellae characteristicae formâ. Fortasse *Lephthyphantes* hic idem est atque *L. Kochii*, quod tamen affirmare non audeo.

Femina *L. Kochii* differt a *L. angulipalpi* epigynâ basi non angustatâ et clavo eius multo latiore (cfr. fig. 55, 56).

Lephthyphantes (?) nanus n. sp.

Femina.

Cephalothorax 0·62 mm. longus, 0·50 latus, fronte circiter 0·24 latâ, antice itaque fortiter angustatus, supra palporum basim levissime modo sinuatus, fere laevis; dorsi pars oculis et declivitati posticae interiecta insigniter inaequalis, pone oculos et postice modice convexa, inter has partes sat fortiter excavata. *Oculi* magni, aream occupant 0·24 la-

[1]) Les Arachnides de France, v. V. p. 280, fig. 33, 34.

tam; series posterior oculorum insigniter recurvata: puncta media oculorum mediorum cum marginibus anticis oculorum lateralium lineam non nisi leviter procurvam designant; oculi medii lateralibus paullo maiores, inter se radio, a lateralibus ne radio quidem remoti; series anterior leviter procurva, oculi medii posticis mediis non parum minores, distare inter se videntur plus quam radio, a lateralibus minus quam radio. Area oculorum mediorum postice plus quam radio oculi latior quam antice et aeque lata atque longa; clypeus medius altitudine $^2/_3$ areae oculorum mediorum aequat, sub oculis insigniter excavatus est, desuper visus ultra oculos anticos medios parum aut non prominet. *Mandibulae* clypeo plus duplo longiores, subtilissime transverse reticulatae, apice intus rotundato angustatae, ornatae in sulci unguicularis margine antico dentibus 3 (?). *Maxillae* lateribus exterioribus anteriora versus insigniter inter se appropinquantibus. *Sternum* laeve, 0·39 longum, 0·37 latum, postice productum usque ad marginem posticum coxarum IV., quae inter se circiter latitudine suâ distant. *Pedes* aculeis longis armati, femora I. aculeo 1 ornata in latere antico pone medium, reliqua inermia, patellae omnes aculeis singulis, tibiae I., II., IV. supra 1.1, III. 1 (?), praeterea I. in latere utroque, II. in latere postico saltem in dimidio apicali aculeo 1 instructae, metatarsi I. et II. aculeo 1 ornati, posteriores inermes. Pedum I. femur 0·67, patella 0·20, tibia 0·60, metatarsus 0·55, tarsus 0·44, pedum II. partes: 0·63, 0·19, 0·52, 0·50, 0·39, pedum III.: 0·55, 0·16, 0·41, 0·43, 0·32, IV.: 0·70, 0·17, 0·60, 0·58, 0·39 mm. longae. *Abdomen* 0·8 longum, 0·52 latum, formâ vulgari. *Epigyne* (tab. II. fig. 59, 60) a latere visa processum format 0·13 longum, paullo longiorem quam basi crassum, bis leviter fractum et angustatum; a basi magis deorsum quam retro directa, tum subito angustata et retro et deorsum tracta, apice deorsum fere directo; partes hae tres gradatim breviores et tenuiores fiunt, apex anguste rotundatus est. Margo posticus parietis basalis epigynae a parte inferiore visus procurvus, modice curvatus; in medio paries basalis in sinum excisus est profundum, circiter 0·08 longum et latum, quadrangularem fere parallelepipedum. Scapus totum fere sinum replet et ex apice eius insigniter prominet, antice cum toto margine antico sinus coniungitur et modice depressus est sive humilior quam margines sinus, posteriora versus paullo adscendit usque ad hos margines; pars scapi in sinu sita postice sulco definitur in angulum fracto latum, apice anteriora versus directum, et depressione mediâ ornatur, ita ut tubera formet duo parum perspicua et parum definita; pars scapi e sinu exserta, aeque circiter atque sinus lata, longitudine suâ multo brevior, angulum format crassum refractum, apicibus rotundatis; in eius incisurâ posticâ apiculum iacet duplo circiter angustius, rotundatum.

Color exempli nostri unici, quod pellem nuper exuerat, nondum satiatus. Cephalothorax cum mandibulis palpis pedibus flavidus, colore fusco paullulum suffusus, oculi colore nigro cincti; sternum flavido-umbrinum; abdomen flavido-cinereum.

Mas ignotus.

A plerisque *Lephthyphantis* differt haec species serie oculorum posticorum insigniter recurvata.

Lephthyphantes montanus n. sp.

Mas.

Cephalothorax 0·8 mm. longus, 0·69 latus, fronte fortiter rotundatâ, ca. 0·30 latâ, supra basim palporum perparum sinuatus, subtilissime reticulatus. Area *oculorum* 0·31 lata; series posterior modice recurvata: puncta media oculorum mediorum cum marginibus anticis lateralium lineam designant mediocriter procurvam; oculi medii lateralibus paullo maiores, inter se paullulum minus quam radio et paullulum plus quam a lateralibus remoti; series anterior recta, oculi medii posticis mediis insigniter minores (diametro circiter $^2/_5$ minore), a lateralibus, qui insigniter maiores sunt, fere radio suo, inter se ne radio quidem remoti. Area oculorum mediorum postice insigniter plus quam radio oculi latior quam antice et paullo latior quam longior. Clypeus medius parum humilior quam area oculorum mediorum longa, sub oculis insigniter excavatus. *Mandibulae* clypeo plus duplo longiores, subtilissime transverse reticulatae, lateribus exterioribus in dimidio apicali levissime excavatis, apicem versus itaque paullulum a se discedentes, intus rotundato angustatae, ornatae in margine antico sulci unguicularis dentibus tribus remotis. *Maxillarum* margines exteriores inter se leviter appropinquant anteriora versus. *Sternum* 0·49 longum et latum, usque ad marginem posticum coxarum IV. productum, hic tamen non latum, ita ut coxae hae inter se non longius quam dimidiâ latitudine distent. *Palporum* (tab. II. fig. 61, 62) pars femoralis ubique aequali fere crassitudine; pars patellaris paene $^1/_3$ longior quam latior, supra modice et parum inaequabiliter convexa, prope medium pilo plus duplo quam ipsa longiore ornata; pars tibialis eâdem fere longitudine, latior et imprimis crassior, a latere visa paullulum altior quam longior, subter campanulato dilatata, dorso primo adscendenti, tum apicem versus brevius descendenti, in angulum itaque latum et obtusum fracto; desuper visa in parte exteriore apicali maiore oblique truncata; in dorso prope a latere exteriore ante medium pilo instructa longiori et fortiori quam pilus patellaris. Lamina tarsalis circiter sescuplo longior quam patellaris cum tibiali, pone medium latissima, in latere exteriore

a parte latissimâ basim versus fortiter et in universum rectâ lineâ, apicem versus autem arcuato angustata, triangularis fere, angulis antico et exteriore rotundatis, postico autem oblique truncato; in parte latissimâ prope marginem exteriorem carinulâ oblongâ obtusâ ornata, ceterum eminentiis evidentioribus carens. Paracymbium magnum, fortiter curvatum, sive antice in sinum profundum excisum, valde inaequale, in paginâ exteriore concavum, marginibus superiore et postico et parte quadam marginis inferioris elevatis aut reflexis; margo superior in palpo desuper adspecto paullulum ultra marginem exteriorem basalem laminae tarsalis prominet lamellae longae et angustae instar; margo posticus (margini apicali partis tibialis parallelus) inferius dente ornatur compresso corneo nigro, sursum et foras directo, qui desuper aut a parte exteriore posticâ facile, a latere exteriore autem difficile conspicitur; margo anticus partis apicalis adscendentis infra reflexus et in lobum productus foras et retro et paullo sursum directum, multo longiorem quam latiorem, obtusum; pars apicalis paracymbii lata, apice inaequabiliter rotundata, eminentiis caret. *Bulbus genitalis* similis atque in *Lephthyphantis* plerisque, apice unco corneo gracili, anteriora versus directo, foras curvato instructus. Lamella characteristica longa valde et angusta, bis furcata: prope ab angulo paracymbii inferiore antico in ramos duos dividitur, quorum interior anteriora versus directus, ab imo visus duplo et dimidio saltem longior videtur quam latior, apicem versus in latere exteriore longe angustatus, paullo contortus, in uncum modice curvatum, foras directum desinit; pars altera lamellae foras curvata margini paracymbii parallela est, denique ab eo discedit anteriora versus curvata et in dentes duos longos angustos dividitur, quorum interior longior pallidior, fere porrectus, a latere adspectus basim unci apicalis, supra dicti, fere attingere videtur; dens exterior anteriora et foras directus, cum interiore angulum format acutum. *Pedum* aculei longi (in exemplo nostro non pauci defracti); femora I. aculeo 1 ornata, reliqua inermia, patellae aculeo 1, tibiae (I. ?) II. et IV. saltem supra aculeis 1.1, III. probabiliter modo 1, anteriores probabiliter in dimidio apicali utrimque 1, metatarsi (I. ?) II. III. aculeo 1 ornati, IV. inermes. Pedum I. femur 1·05, patella 0·26 (reliquae partes desunt), pedem II. partes: 0·94, 0·24, 0·94, 0·86, 0·66, pedum III.: 0·80, 0·21, 0·71, 0·73, 0·52, IV.: 0·99, 0·23, 0·97, 0·97, 0·68 longae. *Abdomen* ca. 1·0 longum, 0·55 latum, formâ vulgari.

Cephalothorax cum mandibulis palpis pedibus flavidus, colore rufo leviter suffusus, oculi colore nigro anguste cincti, antici medii in maculâ nigrâ communi siti; sternum umbrinum; *abdomen* umbrino-cinereum

picturâ evidentiori caret, in dorsi dimidio posteriore vestigiis linearum obscurarum et pallidiorum ornatur.

Femina ignota.

Lephthyphantes quadrimaculatus n. sp.

Mas.

Cephalothorax 0·9 mm. longus, 0·68 latus, ovatus, antice fortiter angustatus, supra basim palporum perparum sinuatus, fronte circiter 0·28 latâ, subtilissime reticulatus. *Oculi* prominentes, aream occupant 0·29 latam; series posterior paene recta, oculi medii lateralibus parum maiores, inter se parum plus quam radio et duplo longius quam a lateralibus remoti; series anterior leviter procurva, oculi medii posticis mediis non multo minores, a lateralibus circiter radio, inter se circiter $^1/_3$ diametri remoti. Area oculorum mediorum parum plus quam radio oculi latior postice quam antice et aeque lata atque longa; clypeus medius aeque fere altus atque area haec longa. *Mandibulae* clypeo parum plus duplo longiores, leviter reticulatae, apice levissime a se discedentes, intus sat longe oblique truncatae. angulo late rotundato, armatae antice in angulo dente minore et pone eum dente maiore, multo longius ab ungue quam a dente primo remoto; margo posticus sulci unguicularis dentibus duobus instructus ab ungue longe distantibus, inter se parum remotis, primo quam secundus insigniter maiore. *Maxillae* lateribus exterioribus fere parallelis, angulo apicali exteriore valde late rotundato. *Sternum* 0·50 longum, 0·44 latum, subtiliter reticulatum, usque ad marginem posticum coxarum IV. productum in processum dimidiam latitudinem coxae IV. superantem. *Palporum* (tab. II. fig. 63, 64) pars femoralis basi in latere interiore denticulo modice manifesto ornata, crassitudine ubique subaequali; pars patellaris apice paullo oblique rotundato truncata, in latere exteriore non, in interiore parum longior quam latior, lateribus leviter rotundatis, dorso modice et paene aequabiliter in longitudinem convexo, pilo ornata sat longo tenui, breviore et tenuiore quam pilus partis tibialis maximus. Pars tibialis supra sescuplo longior quam patellaris, subter duplo saltem brevior quam supra, dorso in angulum fracto valde obtusum et rotundatum, cuius apex duplo longius a basi quam ab apice distat; subter usque ad angulum acutum, deorsum directum, quo ornatur, fortiter et sinuato dilatata. Desuper visa pars tibialis parum asymmetrica, sescuplo saltem latior quam pars patellaris, aeque lata ac longa, basi duplo saltem angustior, apicem versus leviter sinuato dilatata, margine apicali rotundato, in parte exteriore leviter excavato. Lamina tarsalis circiter sescuplo longior quam pars patellaris cum tibiali, desuper et paullo a latere interiore visa insigniter asymmetrica, latere

interiore parum, exteriore fortiter curvato, prope medium latissima, in latere exteriore basim versus modice angustata, ante medium anguli instar modice prominentis recti producta, apicem versus sat fortiter inaequabiliter angustata; in parte latissimâ laminae margo exterior deorsum in lobum obtusum, antice melius quam postice definitum productus. Paracymbium magnum, fortiter curvatum, latitudine mediocri et valde inaequali; eius pars inferior, anteriora versus directa, margine inferiore paene recto, superiore in lobum latum non altum elevato; pars apicalis sursum et anteriora versus directa, dilatata, rotundata, antice recte truncata, in paginâ exteriore, non procul ab angulo dente parvo patenti ornata. *Bulbus genitalis* fabricâ non dissimilis bulbo *Lephthyphantarum* aliorum, insignis tamen formâ lamellae characteristicae et processuum in parte interiore apicis sitorum. E lobis duobus, qui partem exteriorem bulbi occupant, anterior apice in conum obtusum productus; lamella characteristica longa valde, prope medium bulbum, lateri interiori propius, initium capit, intus et sursum directa marginem interiorem laminae tarsalis attingit, retro et porro foras et denique anteriora versus curvata, basim bulbi cingit, porro cum margine inferiore paracymbii, denique cum lobo externo anteriore contingit; a basi apicem versus lamella haec in universum leviter modo angustata est, apex eius in ramos duos graciles acutos dividitur, quorum superior porrectus brevior, inferior cum eo angulum acutum includit, anteriora versus et paullo deorsum directus leviter sursum curvatus cum bulbo non contingit. Partem bulbi anticam interiorem processus formant duo cornei crassi, basi inter se et cum parte basali lamellae characteristicae contingentes, ita curvati, ut foramen includant oblongum obliquum, apice inter se contingentes aut proximi saltem, obtusi; superior precessuum horum apice paullo longius pertinet quam inferior. Inter lobum exteriorem anticum et processus hos membrana iuvenitur pellucida, apice obtusa et fimbriata. *Pedum* aculei in exemplo nostro unico plerique defracti; femora antica aculeo 1 armata, reliqua inermia, metatarsi sex anteriores aculeo 1 instructi. Pedum I. femur 0·95, patella 0·24, tibia 0·86, metatarsus 0·78, tarsus 0·65, pedum II. partes: 0·81, 0·23, 0·73, 0·68, 0·59, pedum III.: 0·65, 0·21, 0·50, 0·54, 0·42, IV.: 0·88, 0·22, 0·84, 0·78, ? mm. longae. *Abdomen* 1·1 longum.

Cephalothorax cum mandibulis rufo-umbrinus, nigro marginatus, pedes et palpi rufo-flavidi, pedum coxae et femora praesertim anteriora et palpi colore fuligineo suffusa; sternum paullo obscurius quam coxae. *Abdomen* fuligineum, supra umbrino leviter variegatum, in dorsi parte posteriore lineis paucis transversis pallidioribus parum perspicuis ornatum, paribus duobus macularum albarum parvarum pictum: maculae anteriores lineolae sunt transversae crassae breves in dorsi lateribus

paullo pone marginem anticum sitae, posteriores in lateribus supra paullo ante mamillas sitae rotundatae.

Femina ignota.

Oxyptila Kotulai n. sp.

Adeo similis etiam partium genitalium formâ est haec species *Oxyptilae raudae* E. Sim. s. *O. obsoletae* Kulcz., *O. septentrionalium* L. Koch, ut satis videatur dicere, quibus rebus ab eâ differat. Oculi antici laterales paullulo minores sunt in *O. Kotulai*, in feminâ eorum diameter paullulum brevior quam spatium, quo ab oculis anticis mediis distant, neque eo paullulum maior aut ei aequalis saltem, ut in *O. rauda*; sed nota haec, paullo mutabilis, parum prodest etiam in feminas harum *Oxyptilarum* distinguendas; in maribus utriusque speciei diameter illa spatium oculo antico laterali et medio interiectum paullulum superat. Processus tibialis palporum maris inferior brevior est in *O. Kotulai* et foras minus productus. Pars antica annuli cornei, quo apophysis bulbi (tab. II. fig. 65) cingitur, in parte posticâ exteriore interrupti, in *O. raudâ* latitudine ubique est paene aequali, foras parum modo angustata, in *O. Kotulai* contra lata in parte interiore, in exteriore autem multo angustior, inter has partes dente ornata foras directo acuto, paullulum retro curvato. Annuli huius pars externa, retro directa, in palpo *O. raudae* a latere exteriore inferiore conspici potest, in *O. Kotulai* autem lamellâ quâdam corneâ in dentem acutum desinenti occultatur (fig. 67). Apophysis bulbi genitalis, quae in *O. rauda* lamellam format sat tenuem subpellucidam, multo crassior est et nigra in *O. Kotulai*, margo eius apicalis, quum ab imo adspicitur, fortius curvatus est in *O. Kotulai*. A latere exteriore adspecta apophysis *O. raudae* magis deorsum quam retro directa videtur, latior et apice latius truncata, angulo utroque paullo producto, *Oxyptilae Kotulai* autem magis retro quam deorsum directa, angulo apicali posteriore modo sat fortiter producto, anteriore autem non aut vix prominenti (fig. 66).

Difficilius quam mares feminae distinguuntur. Epigynae hoc tantum differre videntur, quod margo foveae posticus medius rectus est aut levissime arcuatus et paullulum supra fundum foveae prominet in *O. rauda*, in *O. Kotulai* (tab. II. fig. 68) autem tuberculum format mediocriter expressum, saepissime reliquis partibus epigynae obscurius coloratum, et cum fundo foveae carinulâ brevissimâ obtusâ coniungitur.

Oxyptilam raudam E. Sim. et *O. septentrionalium* L. Koch pro synonymis *O. obsoletae* Kulcz. neque *O. Kotulai* habeo, quoniam figura Cel. Dris L. Kochii 11 in tab. III [1]) annulum corneum bulbi genitalis

[1]) L. Koch, Arachniden aus Sibirien und Novaja Semlja...

antice aequabiliter angustatum repraesentat, a Cel. E. Simonio autem apophysis bulbi lata rufescens, angulis apicalibus ambobus paullo productis describitur [1]).

Oxyptila Kotulai occurrit in Austria inferiore et in Hungariâ.

Xysticus cor Can.

Teste Cel. E. Simonio [2]) *X. comptulus* E. Sim. idem est atque *X. cor* Canestrinii, cuius descriptionem primam [3]) non vidi. Mas *Xystici cordis* a Cel. G. Canestrinio delineatus in „Osservazioni aracnologiche" [4]) colore abdominis insigniter differt a *X. comptulo* a Cel. E. Simonio descripto et delineato [5]) et non dissimilis est mari illi in Austria inferiore capto, cuius mentionem feci in „Araneae Hungariae" v. 2, p. 300, 301. Certo itaque *X. cor* variat non parum colore et mas noster Austriacus verus est *X. comptulus* E. Sim. sive *X. cor* Can. Notandum tamen est, descriptionem palpi maris *X. cordis* a Cel. P. Pavesio a 1875 prolatam [6]) parum quadrare in exemplum nostrum; figura palpi a Cel. G. Canestrinio l. c. edita (tab. X., fig. 2 a) parum prodest in agnoscendam speciem, parum enim exacta est et pro parte certo non recta. Quum autem etiam Cel. E. Simonii figurae partium genitalium (l. c. tab. 10, fig. 4, 5) paullo differant ab exemplis nostris, partes has denuo delineandas esse censui (cfr. tab. II. fig. 70: palpus maris Austriaci, fig. 69: epigyne exempli Croatici).

Xysticus viduus n. sp.

Femina.

Cephalothorax 2·7 mm. longus, 2·6 latus, fronte late rotundatâ, dorso partis cephalicae cum declivitate posticâ arcu valde lato coniuncto, anteriora versus sat fortiter declivi et paene recto. Setae in parte cephalothoracis margini abdominis proximâ non longiores saltem quam in parte anticâ; setis inaequalibus longis ornatur cephalothorax, apicem versus attenuatis, apice acutiusculis; margo clypei setis octo maioribus et inter eas setis minoribus instructus. *Oculi* posteriores inter se spatiis fere aequalibus remoti, antici medii aeque atque postici medii inter se

---

[1]) E. Simon, Les Arachnides de France, v. II. p. 226.

[2]) Annales de la Société entomologique de France. 1880. Bullet. p. 165.

[3]) Atti della Società Veneto-Trentina di scienze naturali res. in Padova, v. II, p. 49.

[4]) Ibid., v. 3, t. X, f. 26.

[5]) Ann. Soc. entom. France. 1873, t. 10. f. 3.

[6]) Note araneologiche. Atti della Società Italiana di scienze naturali, v. 18, p. 51 edit. separ., nota.

et duplo fere longius quam a lateralibus anticis distantes; oculi medii omnes fere aequales (antici parum maiores), aream occupant fere rectangulam (antice vix latiorem), $^2/_{11}$ sive paullo plus quam diametro oculi latiorem quam longiorem. *Pedum* anticorum femur serie obliquâ aculeorum 3, reliqua aculeo 1, tibiae I. subter ad latus anticum aculeis 5 aut 4, ad posticum 3 aut 4, tibiae II. subter ad latus anticum 4, ad posticum 4 aut 5, metatarsi I. subter utrimque aculeis 4 (aut 5), in latere utroque aculeis 1. 1. 1. pone basim, prope medium, in apice, II. subter utrimque 5 et in latere utroque 3 (raro 4) armati. Pedum I. femur 2·3, patella 1·2, tibia 1·62, metatarsus 1·52, tarsus 0·97 longus, pedum II. partes eadem longitudine, femur modo 2·4 longum. *Abdomen* 3·1 longum, 2·7 latum, late ovatum, circiter in $^2/_3$ longitudinis latissimum, antice rotundato truncatum, setis inaequalibus, aequabiliter attenuatis, suberectis ornatum. *Epigyne* (tab. II. fig. 71) foveâ ornatur magnâ, 0·45 latâ, 0·40 longâ, a margine postico epigastri non longius quam $^1/_3$ longitudinis suae remotâ, a marginibus ipsis profundâ, fundo parum inaequali, nitido, marginibus ubique acutissimis definitâ, quadrangulari rotundatâ, margine antico medio paullulum depresso et in angulum latissimum, apice retro directum fracto.

Cephalothoracis vitta media in parte cephalicâ aeque circiter lata atque spatium, quo oculi antici laterales inter se distant, posteriora versus leviter modo angustata, in declivitate posticâ, ubi $^1/_4$ modo angustior est quam in parte latissimâ, alba colore isabellino levissime suffusa, in parte dorsi sublibratâ lineis ornata duabus fulvis, inter oculos posticos medios initium capientibus, et inter se aeque circiter atque ab oculis his distantibus, posteriora versus paullo inaequabiliter appropinquantibus, in declivitatis posticae parte summâ in lineolam brevem coniunctis; pars haec vittae mediae posterius parum obscurius colorata est quam quae in declivitate posticâ iacet, colore isabellino parum fortius suffusa, anterius vero colore hoc fortius suffusa, colore dilute fulvo maculata et reticulata, densius in parte anteriore maiore, minus dense et minus distincte posterius; margines vittae huius paullo pallidiores sunt reliquis partibus, partes eius obscuriores maculam cuneatam, quâ pars cephalica *Xysticorum* ornari solet, perparum modo expressam et definitam formant. Partes laterales cephalothoracis rufescenti fulvae, non obscurae, minute et dense isabellino punctatae et reticulatae exceptis partibus posticis interioribus, abdomine tectis, quae maculâ ornantur sat magnâ oblongâ obliquâ isabellino-albidâ, a vittâ mediâ et a marginibus cephalothoracis spatiis subaequalibus remotâ, ceterum autem maculis pallidioribus carent. Summi margines laterales cephalothoracis isabellino albidi; qui color in laterum parte anteriore lineâ fulvâ non interruptâ a parti-

bus superioribus distinguitur. Area oculorum et clypeus colore parti anticae vittae mediae similia, oculi annulis albidis angustis circumdati, laterales bini maculâ albidâ obliquâ modice expressâ et perparum definitâ coniuncti. *Mandibulae* colore clypei, vittâ latâ obliquâ parum expressâ ornatae. *Maxillae* et *labium* isabellina fere, hoc illis paullo obscurius; *sternum* isabellino-albidum, dense rufo-umbrino punctatum. *Palpi* et *pedes* flavido-isabellini, illi fere concolores, hi autem albido et dilutius obscuriusque fulvo maculati et punctati; pedum anteriorum femora patellae tibiae in dorso lineâ albidâ, utrimque lineâ fulvâ limitatâ ornantur; etiam tibiae pedum posteriorum praesertim apicem versus picturâ simili parum expressâ ornatae; patellae et tibiae pedum anteriorum reliquis partibus parum obscuriores, annulis evidentioribus carent; margo femorum apicalis superior et summi margines apicales patellarum albi; femora ad apicem supra utrimque, patellae posteriores, et praesertim posticae, in latere postico apicem versus rufo-umbrino maculata; tibiae posteriores ad basim anguste et ad apicem latius colore eodem annulatae. *Abdomen*, cuius dorsum parum obscurius coloratum est quam latera, picturâ simili atque in Xysticis plerisque ornatur, parum tamen expressa et perparum definitâ; area dorsualis avellanea, colore violaceo omnium subtilissime suffusa, minute rufo-umbrino punctata, marginibus perparum definitis, inaequalibus; vitta media non multo pallidior, albido-avellanea, minute et obsolete rufo-umbrino punctata, lata, utrimque in dentes binos saltem evidentiores dilatata; dentium anteriorum margo posticus parum longius ab apice quam a margine antico abdominis desuper adspecti distat. Latera et venter pallide fulva, umbrino et obscure fulvo et avellaneo-albido inaequaliter punctata; laterum pars superior inferiore parum pallidior.

Mas ignotus.

Clubiona saltuum n. sp.

Femina.

Cephalothorax 2·5 mm. longus, 1·8 latus, supra basim palporum 1·24 latus, areâ oculorum 1·0 latâ; sulcus medius circiter 0·22 longus. *Oculi* antici medii a margine elevato clypei $^1/_3$ diametri, inter se radio, ab oculis lateralibus anticis vix longius quam radio remoti; lateralium diameter maxima diametro mediorum fere aequalis; oculi medii postici anticis minores (diametro $^1/_4$ saltem minore), inter se fere duplâ et dimidiâ diametro, ab oculis lateralibus fere duplâ diametro remoti; area oculorum mediorum postice fere sescuplâ diametro oculi latior quam antice, circiter $^1/_7$ longior quam antice latior. *Mandibulae* 1·1 longae, ambae simul sumptae aeque longae atque latae, femoribus anticis cras-

siores, modice proiectae, dorso in longitudinem sat fortiter et paullo inaequabiliter (in parte superiore paullo fortius) convexo, lateribus exterioribus in longitudinem leviter modo convexis et inter se in universum fere parallelis, apice intus non longe oblique truncatae angulo late rotundato, dorso obsolete et parum dense transverse reticulatae, sat nitidae. *Palporum* pars femoralis supra aculeis 1.2 ornata, pars patellaris 0·37 longa, pone basim et in apice setis singulis fortibus instructa, pars tibialis 0·45 longa, aculeis setiformibus ornata: intus prope basim 2, prope apicem 1, supra prope apicem 1, in latere exteriore prope basim 1; pars tarsalis 0·65 longa, in latere interiore serie obliquâ aculeorum 3, in latere exteriore prope basim aculeo 1, subter apicem versus aculeis 3 instructa. *Pedum* femora omnia supra aculeis 1.1.1, praeterea apicem versus anteriora in latere antico, posteriora in latere utroque aculeo 1, patellae apice pilo longo tenui, tibiae anteriores subter aculeis 2.2, III. subter ad latus anticum 1.1, in latere utroque 1.1, tibiae IV. subter ad latus anticum 1.1 et in apice lateri postico propius 1, in latere utroque 1.1, metatarsi anteriores subter pone basim 2, III. subter pone basim 2 et in apice 2, antice 1.1.2, supra 1, postice 1.2, IV. subter 2.1.2, antice 1.2.2, postice 1.1.2, pedum anteriorum tibiae scopulis melius in pedibus I. quam in II. evolutis ornatae, eorundem pedum metatarsi et tarsi scopulati. Pedum I. coxa cum trochantere desuper visa ca. 0·30, femur 1·60, patella 0·84, tibia 1·31, metatarsus 1·02, tarsus 0·66, pedum II. partes: ca. 0·30, 1·68, 0·84, 1·38, 1·02, 0·66, pedum III.: ca. 0·20, 1·68, 0·73, 0·95, 1·31, 0·58, IV.: ca. 0·58, 2·18, 0·84, 1·71, 2·08, 0·69 mm. longae. *Abdomen* mamillis exclusis 4·0 longum, 2·3 latum, formâ ordinariâ. *Epigyne* (tab. II. fig. 74) in processum producta ca. 0·65 latum, complanatum, duplo circiter latiorem quam longiorem, retro et paullo deorsum directum, aeque circiter longum atque basi crassum, subtriangularem lateribus paullo curvatis, apice obtuso, quum a latere adspicitur. Processus hic incisuris in margine sitis et sulcis in eis initium capientibus in partes dividitur duas, quarum apicalis basali multo minor est; partis basalis latera posteriora versus fortiter inter se appropinquant, magnam partem recta, apicem versus vero rotundata sunt, anguli apicales postici sat anguste rotundati, a parte epigynae apicali incisurâ non magnâ quidem, sed profundâ et acutâ distincti. Marginem apicalem partis basalis sulci duo formant in incisuris commodum dictis initium capientes, fere transverse positi, arcuati recurvi, in medio, ubi modice expressi sunt, in angulum coëuntes acutum, retro directum, et in sulcum longitudinalem, quo pars apicalis dimidiatur, productum; paullo ante hos sulcos pars basalis pari sulcorum alio ornatur, similem in modum directorum et curvatorum, minus profundorum, qui prope a marginibus la-

teralibus evanescunt, in medio autem in angulum acutum coniuncti item in sulcum longitudinalem commemoratum abeunt. Pars apicalis insigniter angustior quam apex partis basalis, plus duplo brevior quam latior, lateribus rotundatis, margine apicali autem incisuris duabus acutis obliquis, anteriora versus et intus directis, in partes tres diviso, quarum laterales apicula formant apice obtusa, retro et intus directa, media autem lateralibus aliquoties latior angulum format valde latum et apice obtusum; pars apicalis, ut supra diximus, sulco longitudinali profundo dimidiatur.

Exempli unici, quod vidi, nuper adulti, *cephalothorax* dilute flavido-fulvus, margine concolore, colore umbrino obsolete pictus: pars cephalica lineis duabus longitudinalibus inter se appropinquatis et in latere utroque lineâ obliquâ, retro et intus directâ, abbreviatâ picta; pars thoracica utrimque anterius lineis binis radiantibus abbreviatis ornata (in exemplis saturate coloratis cephalothorax fortasse fusco reticulatus est). Mandibulae cephalothorace parum obscuriores; maxillae labium sternum palpi pedes fulvo-flavida, sternum coxis non evidenter obscurius, margine fuligineo modice expresso ornatum, labium infuscatum. *Abdomen* cinereo-umbrinum, subter paullo pallidius quam supra.

Maximam partem detritum est exemplum nostrum; pubes quae restat, albida.

M a s ignotus.

A *Clubiona saxatili* L. Koch, cui epigynae formâ quodammodo similis videtur, differt haec species pedum posticorum, cum cephalothorace et cum pedibus I. comparatorum, longitudine maiore. In *Cl. saxatili* secundum Drem L. Kochium [1]) pedes IV. duplo et dimidio modo longiores sunt quam cephalothorax et tarso solum longiores quam pedes I., in *Cl. saltuum* vero, etiam coxis et trochanteribus exclusis, triplo longiores quam cephalothorax et metatarso longiores quam pedes I.

Agroeca proxima.

Agelena proxima O. P. Cambridge 1870. Descriptions of some British Spiders new to science cet. Trans. Linn. Soc. London v. XXVII. p. 415, t. 54. f. 13. — *Agroeca proxima* L. Koch 1872. Apterologisches aus dem fränkischen Jura. (Abhandl. naturhist. Gesellsch. Nürnberg v. VI.) p. 19, t. II. f. 20—22. — T. Thorell 1875. Remarks on Synonyms... p. 565. — E. Simon 1878. Les Arachnides de France, v. IV, p. 305.

Valde affinis est *A. proxima Agroecae chryseae* L. Koch; differt

[1]) Dr. L. Koch, Die Arachniden-Familie der Drassiden, p. 334, f. 216.

ab eâ staturâ maiore (cephalothorax *A. proximae* ♀ ca. 2·2—2·3 mm. longus, ♂ 2·25, *A. chryseae* ♀ ca. 1·6—1·8, ♂ ca. 1·8 mm.), colore obscuriore, formâ partium genitalium paullo aliâ. *Agroecae proximae* epigyne (tab. II. fig. 72), ut in *A. chryseâ*, in parte anteriore foveis duabus ornatur, septo posteriorâ versus angustato distinctis, fundo posteriora versus sensim adscendenti ita, ut foveae hae postice parum definitae evadant; epigynae latitudo cum longitudine comparata maior est in *A. proximâ* quam in *A. chryseâ*, septum minus, posteriora versus paene aequabiliter angustatum, apice acutum, in transversum non excavatum, foveae antice latae obtusae; in *A. chryseâ* vero septum apice late rotundatum est aut rotundato truncatum, secundum medium paullo excavatum, foveae antice angustae, fere acutae. Processus tibialis palporum (tab. II. fig. 73) maris *A. proximae* directo desuper adspectus basi multo magis foras, in *A. chryseâ* non magis saltem foras quam anteriora versus directus videtur, lamina tarsalis desuper visa circiter $^5/_6$ longior quam latior in illâ, in hac vero modo dimidio longior, bulbus genitalis *A. proximae* a latere exteriore visus subter paene aequabiliter convexus, a medio basim versus et apicem versus sensim humilior, *A. chryseae* autem subter late truncatus aut leviter excavatus, in medio igitur non altior saltem quam basi aut apici propius. Bulbi genitalis fabrica eadem fere in utraque specie.

Agroeca gracilior n. sp.

Adeo affinis est haec species *Agroecae striatae* Kulcz. [1]), ut omnia fere, quae de huius feminâ dixi l. infra c., etiam in illam quadrent. (Intervallum oculorum mediorum posticorum *A. striatae* non tertiâ parte, sed fortasse $^1/_6$ modo longius est quam diameter). Minor est tamen *A. gracilior* et pedes habet insigniter longiores et graciliores. *Cephalothorax* 2·04 longus, 1·46 latus, cum abdomine 4·3 longus. *Pedum* I. coxa cum trochantere desuper visa 0·58, femur 1·60, patella 0·90, tibia 1·34, metatarsus 1·17, tarsus 0·87, pedum II. partes: 0·51, 1·46, 0·87, 1·20, 1·09, 084, pedum III.: 0·29, 1·38, 0·73, 1·02, 1·34, 0·80, IV.: 0·44, 1·97, 0·87, 1·75, 2·29, 1·06 mm. longae. *Mandibulae* I. non $^1/_4$ solum sed fere $^3/_8$ breviores sunt quam patellae I., metatarsus IV. non perparum, ut in *A. striata*, sed $^1/_8$ fere longior quam cephalothorax. *Abdomen* $2^1/_4$ longum, 1·4 latum.

Tibiae II. amborum exemplorum *A. gracilioris*, quae vidi, carent aculeo apicali, femora IV. in latere antico aculeis 1.1, neque 1 solum ornantur; quae differentia probabiliter constans non est.

---

[1]) Kulczyński, Araneae novae in montibus Tatricis, Babia góra, Carpatis Silesiae collectae, p. 31. t. III. f. 19.

Epigyne eâdem est formâ et picturâ in utraque specie.

Probabiliter differt *A. gracilior* ab *A. striata* etiam colore, sed ambo exempla eius, quae vidi, nuper adulta sunt et non bene conservata; eorum *cephalothorax* fulvus, praeter cingulos oculorum nigros, sulcum medium et lineas in parte thoracicâ radiantes utrimque binas umbrinas, nullam picturam evidentiorem praebet; mandibulae colore cephalothoracis, palpi et pedes fulvo-flavidi, sternum coxis pedum non obscurius, labium infuscatum, *abdomen* umbrino-cinereum, subter paullo pallidius quam supra. Pubes in cephalothorace et in abdomine flavida, opaca.

Agroeca lineata, quam Cel. E. Simon secundum exemplum non adultum descripsit [1]), maior esse et pedes breviores habere videtur, quam *A. gracilior*.

Coelotes brevidens n. sp.

Femina.

Cephalothorax 5·1 mm. longus, 3·3 latus, parte cephalicâ longâ, 3.2 latâ. *Oculorum* series posterior leviter recurvata, anterior modice procurva, quum directo a fronte adspicitur, oculi postici medii lateralibus subaequales, inter se circiter diametro, a mediis anticis paullo longius, a lateribus posticis circiter sescuplâ diametro remoti; medii antici, quorum diameter circiter $^1/_4$ minor est quam diameter mediorum posticorum, paene diametro suâ inter se, et parum minus a lateralibus remoti; horum diameter minor paullulum longior quam diameter mediorum. Area oculorum mediorum postice circiter $^3/_4$ diametri oculi latior quam antice et aeque saltem lata atque longa. *Mandibulae* 2·4 longae, sublaeves, armatae in sulci unguicularis margine utroque dentibus 3, quorum medius anticus reliquis maior, medius posticus reliquis minor. *Sternum* laeve. *Pedes* I. 11·7, II. 10·9, III. 9·9, IV. 13·0 longi, pedum I. femur 3·28, patella 1·53, tibia 2·33, metatarsus 2·48, tarsus 1·46, pedum II. partes: 2·92, 1·46, 1·97, 2·19, 1·31, pedum III.: 2·63, 1·38 1·58, 2·19, 1·17, IV.: 3·28, 1·46, 2·48, 2·92, 1·39 longae. Pedum armatura, ut in *Coelotis* plerisque, insigniter mutabilis; femora supra aculeis 1.1, praeterea in latere antico: I. apicem versus 1 aut 2, II. et III. 1 aut 1.1, IV. 1 aut 0, in latere postico: III. 1.1 aut 1 aut 0, IV. 1 aut 0, patellae posteriores in latere postico 1, tibiae I. et II. subter 2.2.2, (aut II. 1.2.1), in utroque latere 1.1 aut 0, III. subter 2.2.2 aut 2.1.1 aut 1.2.1, in utroque latere 1.1, IV. subter 2.2.2, in utroque latere 1.1 aut antice 1 et postice 1.1, metatarsi I. praeter aculeos apicales 3 subter et in

[1]) Les Arachnides de France v. IV. p. 308.

lateribus sitos, subter 2.2 aut etiam in latere antico 1, metatarsi II. praeter aculeos apicales 4 (antice 2, subter 1, postice 1) subter 2.2.2 et antice 1, metatarsi posteriores supra in lineâ medianâ inermes, in latere utroque et subter aculeis compluribus armati. *Abdomen* 5 mm. longum, 3·3 latum, formâ vulgari. *Epigyne* (tab. II. fig. 75) foveâ ornatur aeque fere longâ ac latâ aut paullo longiore, quadrangulari angulis rotundatis, lateribus parallelis aut posteriora versus paullo a se discedentibus, marginibus lateralibus obtusis; prope a lateribus foveae, fere in mediâ eorum longitudine epigyne dente utrimque ornatur brevi lato, non longiore quam latiore, paullo mobili, retro et intus directo, marginem foveae non attingenti, apicem versus, qui paullo oblique truncatus est, non evidenter angustato. Fovea areâ corneâ maximam partem repletur, in lateribus sulco profundo definitâ, antice vero cum margine foveae ita connatâ, ut margo hic mediocriter solum expressus evadat; area impressionibus evidentioribus caret, aeque elevata est atque foveae margines, circiter $^1/_3$ longior quam in parte posteriore latior, antice dimidio aut $^1/_4$ saltem angustior quam in parte posteriore; sulci, quibus area in lateribus definitur, leviter curvati sunt ita, ut area circiter in tertiâ parte leviter coartata evadat, inde anteriora versus parum, posteriora versus vero leviter dilatata.

Cephalothorax fuligineo-badius, lineis radiantibus obscurioribus in parte thoracicâ ornatus, parte cephalicâ in lateribus et antice insigniter infuscatâ; mandibulae rufescenti-fuligineae, maxillae fusco-badiae, labium eis obscurius, sternum eis paullo pallidius, praesertim posterius, coxis parum obscurius; pedes posteriores obscure fulvi, anteriores obscuriores fusco-latericii, apicem versus obscuriores, badii fere; palpi colore pedibus anticis similes. *Abdomen* supra fuligineum aut umbrinum plus minusve fuligineo-variegatum, subter insigniter aut paullo pallidius; venter plus minusve obscurior quam laterum partes vicinae; dorsum picturâ pallidiore simili atque in *Coelotis* plerisque ornatum; vitta antica lanceolata pallida modice aut parum expressa, minus distincta quam maculae in parte posteriore sitae, quorum paribus quinque aut sex dorsum ornatur. Mamillae sordide fulvae.

Mas ignotus.

Tegenaria austriaca n. sp.

Femina.

Cephalothorax 4·2 mm. longus, 3·1 latus; pars cephalica 1.8 lata, a palporum basi anteriora versus levissime dilatata. Series *oculorum* posterior modice procurva, oculi medii lateralibus paullo minores, inter se paullo minus quam diametro et perparum longius quam a lateralibus,

a mediis anticis vix longius quam diametro remoti; series anterior fortiter procurva, marginibus superioribus oculorum lateralium vix altius quam puncta media mediorum sitis; oculi medii posticis mediis paullo minores, inter se circiter radio et duplo circiter longius quam a lateralibus remoti, oculi laterales antici elliptici, diametro minore non breviore saltem quam diameter oculorum posticorum mediorum, a clypei margine spatio paullulum longiore quam ipsorum diameter maior et circiter $^1/_3$ longiore quam diameter minor remoti; area oculorum mediorum postice circiter $^3/_4$ diametri oculi latior quam antice et aeque circiter lata ac longa. *Mandibulae* 2·0 longae, latitudine diametrum maximam femorum I. aequantes, sublaeves, sub clypeo parum convexae, ornatae in sulci unguicularis margine utroque dentibus 5, e quibus anticus secundus reliquis maior est. *Palporum* pars patellaris 0·78, tibialis 1·21, tarsalis 1·67 longa. Pedum I. coxa cum trochantere desuper visa ca. 0·87, femur 4·74, patella 1·57, tibia 4·59, metatarsus 4·70, tarsus 2·21, pedum II. partes ca. 0·80, 4·59, 1·53, 3·97, 4·45, 1·92, pedum III.: ca. 0·87, 4·23, 1·34, 3·46, 4·30, 1·68, IV.: ca. 1·09, 5·10, 1·46, 4·52, 5·61, 1·97 mm. longae. Femora supra pone basim aculeo 1, praeterea anteriora in latere antico aculeis 1.1.1, in postico 1.1, III. in utroque latere 1.1, IV. in utroque latere apicem versus 1 ornata; patellae inermes videntur; tibiae anteriores supra et in latere postico inermes, I. subter prope medium et in apice solum (?) aculeis 2.2, II. subter prope basim 1 (?), prope medium 2, in apice 2 armatae videntur, II. etiam in latere antico aculeo 1, III. subter 1.1.2, ant 2.1.2, in utroque latere et supra 1.1, IV. subter 1.1.2, in lateribus et supra ut III. aculeatae; metatarsi anteriores subter 2.2.2, II. etiam in latere antico prope medium 1, posteriores in utroque latere et subter aculeati, supra inermes. *Abdomen* (post partum) 5 longum, 3 latum, formâ vulgari. *Mamillarum* supremarum articulus apicalis basali brevior. *Epigyne* (tab. II. fig. 78) sat fortiter convexa, foveâ ornatur latiore quam longiore, in partibus lateralibus anterioribus optime definitâ marginibus incurvatis, inter se anteriora versus appropinquantibus; foveae partem posteriorem et latera lamella replet nigra, antice plus quam in semicirculum excisa et utrimque in angulum acutum anteriora versus directum desinens; reliquam partem, anteriorem, lamella alia occupat cornea fulva, modice convexa, antice aeque fere lata atque foveae margo anticus, cum margine hoc in medio late omnino confusa; in lineâ medianâ lamella anterior posteriore duplo fere longior est.

Pars cephalica ferrugineo - fulva, antice obscurior badia fere, pars thoracica fulvo-flavida, in medio parti cephalicae colore similis; margines partis thoracicae angusti interrupti nigri; oculi cingulis cincti ni-

gris, pro parte inter se confusis; pars cephalica lineis duabus parallelis, inter se appropinquatis, umbrinis obsoletis ornata; impressiones cephalicae sat late infuscatae; pars thoracica utrimque vittis radiantibus ternis, neque medium neque marginem attingentibus, quatuor anterioribus parum latis, postremis vero late cuneatis, umbrinis, modice expressis, picta; vittis longitudinalibus obscuris evidentioribus caret cephalothorax. *Mandibulae* badiae fere; *maxillae* obscure fulvae, *labium* insigniter infuscatum; *sternum* maxillis paullo pallidius, marginibus fuligineis, colore umbrino ita pictum, ut restent fulvo coloratae: vitta media sat lata inaequalis, postice in ramos tres divisa, et in parte laterali anteriore utrâque maculae binae obliquae, foras et retro directae. *Palpi* fulvo-flavidi, apicem versus obscuriores, parte tarsali fere testaceâ, annulis incompletis umbrinis mediocriter expressis ornati in apice partium femoralis patellaris tibialis, in dimidio apicali partis tarsalis; pars tibialis in dorso fere toto indistincte infuscata. *Pedes* dilute ferrugineo-fulvi, supra fere concolores, subter in femoribus tantum annulis evidentioribus quaternis umbrinis picti. *Abdomen* dilute umbrino-cinereum, colore flavo leviter suffusum, in dorso colore obscure umbrino adeo abunde pictum, ut color hic, praesertim in parte posteriore, omnino praevaleat; pallidius coloratae restant: vitta longitudinalis media, in dimidio posteriore evanescens, in anteriore manifesta sed parum definita, latera versus umbrino punctata; in parte anteriore minore maculae oblongae utrimque binae, anteriores elongatae, posteriores elongato-ovatae paullo obliquae, ab anterioribus parum manifeste distinctae; in dimidio dorsi posteriore anguli circiter quatuor, apice truncati aut rotundati, cruribus in parte extremâ in ramulum brevem intus et retro directum productis; anguli hi paullo plus quam $^1/_4$ latitudinis abdominis occupant, gradatim tenuiores fiunt, duo anteriores tantum bene expressi, quartus valde indistinctus. Puncta ochroleuca, quibus maculae dorsuales in *Tegenariis* nonnullis ornantur, desunt omnino. Latera abdominis colore dorso similia, infra minus abunde fuligineo maculata; in ventre color pallidior insigniter praevalet. *Mamillae* infimae ferrugineo-fulvae, supremarum articulus basalis fuligineus, apicalis dilute flavidus.

Exemplum nostrum unicum omnino detritum est.

Mas ignotus.

Valde affinis est haec *Tegenaria Tegenariae veloci* Chyz. [1]); differt ab ea paullulum oculorum situ, femoribus supra aculeis singulis armatis, imprimis vero formâ epigynae (quae quidem similis est in utraque specie): lamella, qua pars foveae posterior repletur, multo minus excisa est in

[1]) Araneae Hungariae, v. II. p. 168.

T. veloci, cornubus anticis itaque brevioribus, obtusis; processus marginis antici mediam foveam non attingit et insigniter minor est in *T. veloci*.

Hahnia picta Kulcz.

Hahnia picta Kulczyński 1898. Araneae Hungariae. v. II. p. 178, t. VII. fig. 15. (♀).

Mas his rebus differt a feminâ:

Cephalothorax 0·81 mm. longus, 0·73 latus, antice fortiter angustatus, supra palporum basim parum modo sinuatus et ca. 0·47 latus; area oculorum, ut in feminâ, 0·28 lata. *Oculi* postici medii lateralibus paullulum maiores, ab eis paullo plus quam dimidio radio remoti; oculi laterales antici posticis paullulum maiores, antici medii ne $^1/_3$ diametri quidem inter se remoti; area oculorum mediorum postice duplo latior quam antice; *clypeus* insigniter proiectus, sub oculis anticis lateralibus eorum diametrum maximam sescuplam altitudine paullo superat. *Mandibulae* ca. 0·30 longae. *Sternum* 0·50 longum, 0·49 latum. *Palporum* (tab. II. fig. 76. 77.) pars femoralis 0·26, patellaris 0·19, tibialis (supra) ca. 0·12, tarsalis 0·47 longa; pars femoralis inermis, patellaris basi in latere exteriore inferiore processu instructa breviore quam ipsa crassa est, deorsum et foras et paullo retro directo, gracili, paullo inaequabiliter attenuato, modice sursum curvato, in hamulum minutum desinenti; margo apicalis exterior partis tibialis in dentem triangularem latum acutum productus, infra vero pars haec processu ornatur longo valde, gracili, basi deorsum et anteriora versus directo, apicem versus aequabiliter attenuato et corneo nigro et modice foras et sursum curvato, apice foras et sursum, neque retro directo. Lamina tarsalis a latere exteriore visa paullo plus quam sescuplo longior quam latior, margine superiore insigniter arcuato, inferiore parum curvato, basim versus itaque fortiter angustata, apice rotundato infra cum margine inferiore in angulum manifestum obtusum coëunti. Pars „basalis“ *bulbi genitalis* circuitu ovata fere, antice in latere inferiore inaequabiliter acuminata, leviter convexa; eius margo posticus spatio non parvo a margine antico partis tibialis remotus; in parte inferiore anticâ bulbus membranulâ ornatur pellucidâ, simili atque in *H. Mengei* Kulcz., *H. nava* (Blackw.) cet; emboli basis valde lata, dimidium fere bulbum latitudine aequans, in margine inferiore cornea obscure colorata, ceterum pallida; eius margo exterior in parte bulbi inferiore anteriore, superior vero fere in lineâ medianâ, basi propius initium capit; a basi retro et deorsum directus est embolus, paullo post subito in setam gracillimam contractus sursum curvatur et cum basi laminae tarsalis contingit, a corpore bulbi genitalis itaque spatio sat lato distat; deinde anteriora versus flexus margi-

nem bulbi superiorem et anticum cingit, denique retro curvatus medium eius marginem inferiorem attingit; basis emboli cum corpore bulbi sulcum includit in parte posticâ inferiore situm, angulis fere aequalibus retro et deorsum directum. *Pedum* I. femur 0·81, patella 0·29, tibia 0·73, metatarsus 0·63, tarsus 0·45, pedum II. partes: 0·68, 0·26, 0·58 0·52, 0·42, pedum III.: 0·60, 0·23, 0·49, 0·49, 0·37, IV.: 0·71, 0·25, 0·62, 0·60, 0·42 mm. longae. *Abdomen* 1.1 longum, 0·78 latum. *Mamillae* externae articulo basali ca. 0·21, apicali ca. 0·11, insequentes articulo basali ca. 0·22, intimae ca. 0·13 longo. *Stigma* tracheale prope medium ventrem vidisse videor.

Color similis atque feminae, abdominis pictura eo solum distincta, quod maculae dorsuales paris 2-di cum vittis lateralibus eis vicinis omnino confusae sunt in maculas transversas late triangulares, angulo exteriore longe in latera abdominis producto; ventris color pallidus paullo latius in latera abdominis diffusus quam in feminâ, postice vero colore umbrino non coartatus solum sed a mamillis anguste disiunctus.

Trochosa spinipalpis F. Cambr.

Trochosa spinipalpis F. O. P. Cambridge 1895. Notes on British Spiders, cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist. Ser. 6. v. XV) p. 28. t. III. f. 4, 5, 9, 11, 14.

Species haec sat late diffusa videtur; occurrit etiam in Poloniâ.

Mas facile distinguitur a *Tr. ruricola* (Geer) et *Tr. robusta* (E. Sim.) palporum parte tarsali apice inermi, neque unguiculo armatâ, a *Tr. terricola* Thor. parte palporum tibiali in latere interiore inferiore aculeis compluribus fortibus, neque pilis solum instructâ. Feminam certo distinguere nescio a *Tr. terricolâ*, cui similis est formâ epigynae; femina Anglica, dono mihi a Cel. Fr. O. P. Cambridgio data, et femina Austriaca, quam huic speciei adscribo, abdomen antice vittâ lanceolatâ albidâ ornatum et cephalothoracis vittas pallidas laterales melius expressas habent quam *Tr. terricola*, cuius vitta lanceolata abdominis, marginibus nigricantibus designata, pube tegitur non pallidiore quam reliquae partes dorsi dilutiores.

Trochosa sabulonum (L. Koch).

Trochosa trabalis var. C. L. Koch 1848. Die Arachniden, v. XIV. p. 143, f. 1373. — *Lycosa sabulonum* L. Koch 1878. Verzeichn. d. bei Nürnberg b. jetzt beobacht. Arachniden, p. 191. f. 19, 20. — *Trochosa terminalis* Bertkau 1880. Verzeichn. d. bish. bei Bonn beob. Spinnen, p. 283, f. 8.

Femina his rebus differt a mare: *Cephalothorax* 1·07 longus, 0·84 latus, paullo pone medium latissimus, late ovatus, fere ellipticus, antice leviter acuminatus (lateribus non evidenter aut levissime modo sinuatis), apice rotundatus, paullo altior quam in mare, dorso inter declivitatem posticam et oculos fere librato et recto, neque ut in mare sat profunde impresso. In lateribus, usque ad marginem anticum coxarum I., cephalothorax limbo cingitur circiter 0·04 lato, membranaceo, complanato, subpellucido, glabro, librato, sulco a reliquis partibus optime distincto. Pars cephalothoracis huic limbo adiacens, cornea, sulco parallelo, minus expresso definita, limbum alterum format leviter convexum, serie pilorum anteriora versus et intus directorum, parum confertâ, paullo inordinatâ (?) ornatum. In cephalothorace directo desuper adspecto area *oculorum* ab eius margine antico latitudine suâ distare videtur. *Sternum* ca. 0·60 latum, 0·78 longum (cum labio 1·0). *Palporum* pars

---

[1]) Patella I. exemplorum Croaticorum 0·35 mm. longa est neque 0·55, ut l. c. per errorem exscriptum est.

femoralis 0·54, patellaris 0·29 longa, 0·18 lata, tibialis 0·29 longa, 0·18 lata, tarsalis 0·40 longa, prope basim 0·15 lata. Pedes carent aculeis; pedum I. femur 0·92, patella 0·32 (reliquae partes desunt huic exemplo), pedum II. femur 0·68, patella 0·31, tibia 0·58, metatarsus 0·50, tarsus 0·41, pedum III. partes: 0·57, 0·29, 0·49, 0·47, 0·34, pedum IV.: 0·79, 0·34, 0·7[illegible], 0·63, 0·42 mm. longae. (Alius exempli cephalothorace 0·89 longo, femur I. 0·76, patella 0·29, tibia 0·78, metatarsus 0·63, tarsus 0·54 longa). *Abdomen* 0·9 longum, 0·6 latum, ovatum postice latius, antice leviter rotundato-truncatum.

Cephalothorax cum mandibulis palpis pedibusque pallide flavidus, colorem rufum plus minusve sentiens, palpi et pedes, praesertim anteriores, colore ferrugineo suffusi. Pictura cephalothoracis umbrina et fuliginea, insigniter differt a picturâ maris (cfr. figuras 1. et 2). Area oculorum, excepto intervallo oculorum mediorum posticorum nigra; margo cephalothoracis anticus, excepto medio, fuligineus; inter has partes marginis et aream oculorum umbrino reticulatus (nonnunquam obsolete) est cephalothorax; pars cephalica posterior maculâ ornatur fulignea, nonnunquam pallidius variegatâ, modo aeque saltem latâ atque area oculorum, modo paullo angustiore, aeque circiter latâ atque longâ aut paullo angustiore, lateribus in universum leviter rotundatis, posteriora versus leviter aut sat fortiter angustatâ, ab oculis plus quam dimidiâ suâ longitudine remotâ, cum oculis posticis mediis ramulis latiusculis, anteriora versus et paullo intus directis coniunctâ; margines maculae huius inaequales sunt, dentati (dentibus in utroque latere 3—5) et mediocriter modo definiti, quoniam ad eos cephalothorax inaequaliter fuligineo reticulatus est plus minusve. E margine postico maculae lineolae excurrunt tres parvae, maculas duas parvas oblongas pallidas includentes, porro inter se confusae et in reticulum formâ varians dissolutae. In exemplis obscure coloratis spatium maculae dorsuali et oculis interiectum, fortiter umbrino reticulatum, non multo pallidius est quam macula ipsa, et reticulum in partibus anterioribus plus minusve confusum invenitur in maculas, quae utrimque ramulum formant latum, cum margine antico maculae dorsualis coniunctum, foras directum, mox tamen anteriora versus curvatum, plus minusve expressum, interruptum. *Abdomen* isabellinum, vix vestigia praebet picturae umbrinae, quam supra descripsimus, aut umbrinum est modo fere concolor modo fasciis pallidis aliquot transversis, perparum expressis ornatum.

Pulli *Filistatae insidiatricis* differunt a feminis *F. pallidae* maculâ cephalicâ aliâ (elongato-triangulari), imprimis vero marginibus cephalothoracis lateralibus nigris et pedibus subter vestigiis saltem quibusdam macularum nigrarum ornatis.

A plerisque reliquis *Filistatis*, quarum descriptiones saltem novi, *F. pallida* modo staturâ insigniter minore, modo pedibus totis pallide coloratis et cephalothoracis margine non obscuro differre videtur. *F. condita* Cambr. [1]), insulam St. Helenae incolens, sola fortasse est *Filistata Filistatae pallidae* pedibus totis dilute coloratis, cephalothoracis margine concolore, picturâ abdominis similis; secundum descriptionem tamen non parum maior est haec species (femina nondum adulta [?] 5 mm. saltem longa, quum *Fil. pallidae* femina maxima, quam vidi, adulta, modo 3·2 mm. longa sit), cephalothorax eius flavus, supra pilis modo obscure coloratis ornatus [2]).

Uloboridae.

Uloborus Latr.

Uloborus Walckenaërii Latr.

Uloborus Walckenaërius, Latreille 1806. Gen. Crust. et Insect. v. 1, p. 100. — *Veleda pallens*, Blackwall 1862. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 3 s., v. 9, p. 372).

Feminae adultae non paucae, mas adultus unicus, pulli, collecta sunt in insulâ Maderâ.

Veleda pallens Blackwallii, secundum exemplum unicum non adultum descripta, non dubium synonymum huius speciei videtur.

U. geniculatus (Oliv.).

Aranea geniculata. Olivier 1789. Encycl. méthod., v. 2, p. 214.

Madera: pulli et adulti utriusque sexus; insula Porta Santo: femina.

Nullâ re evidentiori differunt haec exempla a feminâ in Americâ meridionali captâ, quam mihi olim Com. E. Keyserling dono dedit, et ab exemplis in Africâ meridionali ad fluvium Zambesi a Cel. Pisuliński et in Javâ a M. Raciborski collectis.

Hyptiotes Walck.

H. anceps Walck. (?)

(?) *Uptiotes anceps*, Walckenaer 1837. Hist. nat. des Insectes. Aptères; v. 1, p. 277. — *Hyptiotes anceps*, Thorell 1897. (La Feuille des jeunes naturalistes, Nr. 318, p. 110). — *Mithras flavidus*, Blackwall 1862. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 9, p. 373). — *Mithras dubius*, Id. ibid. p. 375.

---

[1]) Cambridge O. P., On the Spiders of St. Helena, Proc. Zool. Soc. London 1873. p. 211, t. 24, f. 1.

[2]) Mas *Filistatae* in Azoribus lectus, quem Cel. E. Simon ut marem *F. conditae* Cambr. descripsit (Études arachnologiques, 14 mém. in Ann. Soc. entom. France 1883, s. 6, v. 3) ad *Filistatam pallidam* potius referendus videtur, si quidem *F. pallida* et *F. condita* revera species sunt distinctae, quod pro certo affirmare non audeo.

Madera; exempla sat multa, inter ea mares et feminae adultae.

Blackwallii *Mithras dubius* et *flavidus* certo synonyma sunt huius speciei, quae — ut *H. paradoxus* (C. L. Koch) — valde variat colore.

Dictynidae.

Lathys E. Sim.

L. affinis (Blackw.) (Tab. VI, fig. 3, 4, 5).

Cinifio affinis, Blackwall 1862. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 3. s., v. 9, p. 371).

Madera: feminae paucae.

Valde affinis est haec species *Lathyi humili* (Blackw.); differt ab eâ imprimis pedibus uberius aculeatis [1]) et foveâ epigynae multo minore et paullo aliter conformatâ. Pedum femora omnia supra aculeo 1 longo, anteriora etiam in latere antico prope apicem aculeo 1 mediocri, patellae omnes in apice aculeo 1, in pedibus anterioribus debiliori quam in posterioribus, tibiae — posteriores saltem — supra pone basim aculeo 1, tibiae I. in latere antico prope medium uno debili, II. in latere eodem apici propius aculeo fortiori, tibiae posteriores in latere postico in dimidio apicali aculeo 1 sat forti et nonnunquam saltem tibiae III. aculeo in dimidio basali sito, subter: tibiae I. aculeis 1.2 aut 2 aut 1 (nullo in apice), tibiae II. 1 aut 2, III. et IV.: 1 instructae; metatarsi, praeter aculeos apicales, subter aculeis ornati 2 in pedibus I. et II., 1 in IV., nullo in III.

Fovea epigynae *L. humilis* (fig. 6) circiter 0·18 mm. lata est, duplo saltem latior quam longior, profunda, transverse reniformis fere, postice et in lateribus rotundata, marginibus — exceptâ parte anticâ mediâ — acutis circumdata; marginis acuti pars, quâ fovea antice in lateribus definitur, retro et denique foras curvata in foveam descendit et denique evanescit; inter has partes marginis acutas curvatas fovea antice margine limitatur omnino obtuso et parum definito, qui in foveam cito descendens septum format valde incompletum latum. *Lathyis affinis* fovea (fig. 4, 5) modo circiter 0·09 lata est, circiter duplo latior quam longior, fere elliptica, antice in medio in angulum parvum aut medio-

---

[1]) Pedes *Lathyis humilis* non inermes sunt, sed aculeati, ut nunc in exemplis melius conservatis video; pedum I., fortasse etiam II., femur prope apicem in latere antico, patellae in apice — pro parte saltem — tibiae posteriores antice in dimidio apicali, aculeis singulis ornantur. Etiam *Lathys heterophthalma* Kulcz. aculeos, paucos quidem et debiles, in pedibus praebet (in femore I. antice ad apicem, in patellis posterioribus, in tibiis III. antice). — Alias species huius generis non novi, vix tamen dubitari potest, quin etiam eae pedes aculeis armatos habeant.

crem modo excisa; eius marginis, qui similem in modum curvatus est atque in priore, partes recurvatae, in foveâ sitae, inter se parum remotae sunt et septum formant angustum et multo minus manifestum. Nonnunquam fovea antice non excisa est et septo omnino caret.

Exemplorum nostrorum cephalothorax 1·05 longus est, 0·75 latus, abdomen 1·6 longum, pedes I. 2·9, II. 2·5, III. 2·05, IV. 2·55, tibia cum patellâ I. 0·95, IV. 0·85 longa.

Oculorum series posterior sat fortiter procurva, intervalla subaequalia (medium lateralibus fortasse paullulum maius), quam diameter oculorum mediorum evidenter minora; series anterior oculorum paene recta, oculi medii reliquis omnibus multo minores (eorum diameter circiter dimidiae diametro maiori oculorum lateralium anticorum aequalis), inter se circiter diametro, a lateralibus parum minus remoti; oculi bini laterales tuberculis optime evolutis et intus sulco obliquo optime definitis innati; oculi antici medii a margine clypei circiter sescuplâ diametro, laterales circiter dimidia suâ diametro maiore remoti. [1])

Color sat mutabilis. Cephalothoracis pars thoracica rufo- aut flavotestacea, margine umbrino aut fuligineo, modo parum modo optime expresso cincta, pars cephalica badia aut umbrina colore rufo suffusa, plus minusve evidenter fusco reticulata; pedes umbrino aut fuligineo annulati: femora subter maculis binis ornata, patellae annulis singulis, tibiae et metatarsi binis picta. Macula abdominis (fig. 3) dorsualis antica oblonga, fuliginea, colore flavido-umbrino posterius plus minusve late dimidiata et in maculas divulsa tres, quarum antica oblonga maior, posteriores oppositae parvae. Nonnunquam abdomen in lateribus et in dorsi lateribus fuligineo-nigrum est, ceterum dorsum umbrinum abunde colore cremeo maculatum, antice maculâ oblongâ, tertiam saltem partem longitudinis occupanti, nigrâ aut fuligineâ ornatum, ceterum — praesertim postice — maculis minoribus nigris, irregularibus, inter se et cum partibus vicinis obscuris confusis, contaminatum.

Lathys decolor n. sp. (Tab. VI, fig. 11).

Insula: Porto Santo; feminae duae.

Praecedenti valde affinis, differt ab eâ staturâ maiore et colore alio.

---

[1]) Oculorum situ parum differt *Lathys affinis* a *Lathye humili*, quam Cel. E. Simon a *Lathye meridionali* E. Sim. oculis posticis in lineam paene rectam dispositis et inter se diametro saltem remotis distinxit (Les Arachnides de France, vol. I. pag. 200—202); in exemplis *Lathyis humilis*, quae vidi saltem, seriem eam oculorum evidenter procurvam, intervallum oculorum mediorum modo diametro eorum fere aequale, modo minus, spatium, quo oculi hi a lateralibus distant, diametro eâ minus inveni.

Oculorum series posterior sat fortiter procurva: puncta media mediorum cum marginibus posticis lateralium lineam subrectam designant; oculi medii inter se et a lateralibus spatiis subaequalibus, diametro paullulum minoribus remoti; series anterior paullulum deorsum curvata, oculi medii parvi, diametro dimidiam diametrum breviorem oculorum lateralium aequant, inter se fere sescuplâ diametro, a lateralibus circiter diametro suâ distant; area oculorum mediorum postice duplo fere latior quam antice et $^1/_5$ latior quam longior. A clypei margine distant oculi antici medii paullo plus quam diametro, laterales autem dimidiâ diametro minore. Oculi laterales bini tuberculo optime evoluto et bene definito, obliquo, innati. *Pedum* armatura probabiliter mutabilis. Exemplorum nostrorum, quae detrita sunt, pedes aculeis hunc in modum armati fuisse videntur: femora omnia supra aculeo 1, antica etiam in latere antico ad apicem 1 (aculei patellares desunt, probabiliter defracti), tibiae anteriores modo inermes, modo II. antice pone medium aculeo 1, subter 1.1 instructa, tibia III. in utroque latere et subter aculeis singulis pone medium, tibia IV. subter prope medium et in utroque latere pone medium aculeo 1, metatarsi — praeter aculeos ad apicem sitos — in pedibus I. modo inermes, modo subter prope medium aculeo 1, in pedibus II. subter prope medium aculeo 1 aut 2, metatarsi III antice 1, IV. subter 1 instructi. Fovea *epigynae* 0·16 lata, 0·09 longa, formâ simili atque in priore.

Cephalothorax 1·15 longus, 0·87 latus, pedum I. femur 1·1, patella 0·39, tibia 0·95, metatarsus 0·80, tarsus 0·47, pedum II. partes: 0·95, 0·36, 0·66, 0·66, 0·44, pedum III.: 0·75, 0·29, 0·54, 0·58, 0·36, IV.: 1·02, 0·36, 0·75, 0·73, 0·36 longae; abdomen 1·9 longum, 1·5 latum. Alterum exemplum paullo maius, cephalothorace 1·55, abdomine 2·1, pedum I. partibus: 1·4, 0·52, 1·23, 1·14, 0·65, pedum IV. partibus: 1·3, 0·49, 0·97, 0·97, 0·52 longis.

Cephalothorax rufo-flavidus colore umbrino leviter suffusus, margine nigro cinctus; pars cephalica rufescenti-umbrina, in utroque latere lineâ paullo obliquâ fuligineâ ornata et lineis minus expressis reticulatis picta. Mandibulae cephalothorace paullo pallidiores, sternum flavido-umbrinum, nigro marginatum, maxillae eo paullo pallidiores, labium nigrum apice pallidum. Palpi et pedes dilute sordide flavidi, aut colore rufo leviter suffusi, hi colore fuligineo similem in modum atque in priore maculati. *Abdomen* (fig. 11) obscure umbrinum, in lateribus et in dorsi lateribus dense fuligineo et ex parte nigro contaminatum, qui color in dorsi partibus lateralibus posterioribus nonnunquam vittas format retro et foras directas, modice expressas. Pars dorsi media picturâ ornatur fuligineo-nigrâ, e maculâ constanti anticâ, crassâ, plus minus oblongâ, et ex angulis

quinque; anguli hi, quorum secundus in mediâ dorsi longitudine aut basi paullo propius iacet, apice anteriora versus directi, crassi sunt et inaequales; eorum crura nonnunquam ex parte apice procurva; angulus anticus nonnunquam in medio late interruptus sive in maculas duas divulsus. Supra mamillas anguli aliquot similes conspiciuntur minores, tenuiores, inter se magis approximati et ex parte confusi. Tota haec pictura in animali in liquorem immerso modo distincta, in desiccato difficilius conspicitur. Venter obscure flavido-umbrinus, obsolete obscurius maculatus. Mamillae obscure rufescenti-umbrinae.

Dictyna Sund.

D. puella E. Sim.? (Tab. VI, fig. 7,10).

? *Dictyna puella*, E. Simon 1870. Aranéides nouveaux ou peu connus du Midi de l'Europe. (Mém. de la Soc. Roy. d. Sciences de Liège), p. 299. — ? *Dictyna puella* E. Sim. 1874. Les Arachnides de France, vol. 1, p. 180.

Non sine dubitatione speciei huic, mihi ignotae, subiungo *Dictynam*, cuius exempla pauca in insulâ Porto Santo, permulta vero in ins. Maderâ collecta sunt.

Exempla tria (femina una et mares duo) in ins. Porto Santo capta colore sat similia videntur exemplis a Cel. E. Simonio descriptis. Abdomen eorum vittâ ornatur dorsuali purpureâ, in feminâ totam fere longitudinem dorsi occupanti, sat latâ, antice fere marginem anticum dorsi attingenti et acuminatâ, ceterum latitudine in universum ubique fere aequali, marginibus paullo inaequalibus; in altero mare vitta antice mediocriter lata est, marginem anticum dorsi attingit, circiter in $^1/_3$ longitudinis in maculam rotundatam modice dilatata, posterius — interrupta — sensim evanescit; alterius exempli masculini pars antica vittae, ante maculam rotundatam sita, omnino deleta est. Partes dorsi laterales, obsolete albo maculatae, pallidiores sunt quam abdominis latera. Cephalothorax feminae dilute fulvo-flavus, in lateribus partis cephalicae et in parte thoracicâ — marginibus sat latis albo-flavis exceptis — colore fuligineo sat fortiter tinctus; pars cephalica itaque multo pallidior est quam thoracica. Marium cephalothorax fulvus, marginibus albo-flavidis modice aut parum expressis, ceterum modo concolor, modo colore fuligineo in parte thoracicâ parum suffusus. — Mas unus et femina una eodem tempore capta et eodem modo conservata, atque priora, carent omnino vittâ purpureâ in abdomine, quod isabellinum fere est et in dorso toto maculis parvis albidis ita ornatur, ut albidum isabellino reticulatum evadat.

Ad formam exempla haec simillima sunt *D. flavescenti* (Walck.). Femina ab hac specie nullâ aliâ re differre videtur, nisi areâ oculorum

mediorum paene rectangulâ, neque antice angustatâ, et fortasse clypeo paullulum humiliore. Mas facilius distinguitur a *D. flavescenti;* palporum pars patellaris (fig. 7) in latere superiore externo dente fortiori ornatur quam in illâ [1]). (Partes tibialis et tarsalis omnino eâdem esse formâ mihi videntur in utraque specie). Evidentius differunt mandibulae: hae in *D. flavescenti* in latere antico interiore paullo pone basim dente ornantur optime evoluto, paullo deorsum directo; qui dens cum angulo basali exteriore mandibulae carinâ coniungitur parum expressâ, omnino obtusâ, paullo obliquâ: foras et sursum directâ; pars haec mandibularum, desuper et paullulum a frote adspecta (fig. 9), recta videtur et non plane transversa sed foras et paullulum retro directa. Dens ille abest *D. puellae*, et hanc ob rem pars mandibularum, quae desuper et paullulum a fronte adspecta paullo ultra clypei marginem prominet (fig. 10), non recte truncata sed convexa videtur, angulo interiore non producto.

Feminae in ins. Porto Santo captae cephalothorax 1·1 mm., marium 1·0 longus est.

Inter permulta exempla in ins. Madera collecta ne unum quidem inveni, cuius abdomen colore rubro pictum esset. (Perparum probabile mihi videtur, exempla haec omnia colorem commemoratum perdidisse, antequam in manus meas venerunt). *Picturâ abdominis* (humefacti aut detriti) exempla Maderiana insigniter variant et saepe eo non differunt a *D. flavescenti.* Isabellino-cinereum est abdomen, in dorso — pro parte saltem — et in laterum parte inferiore albo aut flavido-albo dense maculatum; venter, qui saepissime non maculatus est, et laterum pars superior — minus manifeste aut minus abunde maculata — obscuriora sunt quam dorsum. Hoc nonnunquam totum aequabiliter maculatum invenitur, ita, ut albidum, tenuiter isabellino reticulatum evadat; plerumque tum dorsum lineâ isabellinâ mediâ tenui rectâ, totam longitudinem occupanti, et in parte posteriore lineis duabus subrectis, lineae mediae paenae parallelis, plus minusve in oculos cadentibus, ornatur. Saepius maculae albae in partibus quibusdam dorsi desunt, aut in puncta minuta dissolvuntur ita, ut dorsum oculo nudo albidum obscurius maculatum, aut isabellinum albido maculatum videatur. Saepissime dorsum maculâ isabellinâ unicâ ornatur, in dimidio anteriore, inter impressiones musculares anteriores sitâ, plus minusve rotundatâ, modice aut parum definitâ. (Haec exempla varietatem illam *D. flavescentis* referunt,

---

[1]) *Dictynae flavescentis* pars patellaris non est inermis, ut nonnunquam describitur, sed in parte apicali superiore externâ in dentem acutum, optime expressum elevata (Tab. VI, fig. 8).

quam Blackwall delineavit et nomine *Ergatidis pallentis* ornavit [1]). Nonnunquam macula haec anteriora versus producta et plus minusve angustata, marginem anticum dorsi abdominis fere attingit. Saepe pars dorsi media posterior, inter lineas supra commemoratas sita, partibus vicinis paullo obscurior, sed quam macula anterior pallidior est, rarius cum maculâ hac (quae tum eâ modo evidenter, modo non obscurior est) in vittam coniungitur plus minusve expressam, $^3/_4$ longitudinis dorsi saltem occupantem. In aliis exemplis pars dorsi lateralis posterior utraque umbris tribus aut vittis sat manifestis dividitur isabellinis, obliquis, foras et retro directis, quarum antica in impressione musculari posteriore initium capit. In talibus exemplis etiam pars dorsi lateralis anterior non raro vittâ ornatur isabellinâ longitudinali, postice — paullo pone impressionem muscularem anteriorem — nonnunquam incurvatâ et cum vittâ mediâ coniunctâ. Si insuper, quod quidem raro occurrit, laterum abdominis pars superior, isabellina, maculis albidis in partes divellitur tres: anticam longitudinalem, postice oblique deorsum curvatam, duas vero posteriores plus minusve obliquas, color tum nullâ re differt a colore illius formae *Dictynae flavescentis*, quam C. L. Koch delineavit in opere qu. insc. „Die Arachniden", vol. III. fig. 187.

Raro maculae albae dorsi magnam partem evanescunt, dorsum tum isabellinum aut cinereo-umbrinum vittis utrimque ornatur quatuor aut quinque, parum aut perparum definitis, e maculis parvis compositis; vittae anticae ab impressionibus muscularibus anterioribus anteriora versus directae et plus minusve productae sunt; vittae secundae in latere exteriore impressionum muscularium posteriorum iacent, reliquis maiores, irregulares; vittae posteriores obliquae. Rarissime denique dorsum maculis albis omnino caret.

In exemplis non detritis (quae perpauca modo vidi) partes abdominis dilutiores pube albâ, obscuriores — pro parte saltem — pube fusco-cinereâ tectae sunt; desiccati abdominis pictura non dissimilis quidem atque humefacti, sed fortasse minus definita et nescio an magis mutabilis.

Mares similem in modum variant picturâ abdominis atque feminae.

Feminarum *pars cephalica* saepe evidenter aut multo pallidior quam thoracica; in maribus partes hae saepissime parum inter se differunt colore.

Ad *formam* exempla haec Maderiana ab exemplis in ins. Porto

---

[1]) J. Blackwall, A History of the Spiders of Great Britain and Ireland, 1861—1864, v. 1, t. 10, f. 94.

Santo captis distinguere nescio. Feminae pleraeque a *D. flavescenti* differunt areâ oculorum mediorum rectangulâ; sed nota haec non constans est, occurrunt enim exempla areâ hac antice aeque ac in *D. flavescenti* angustatâ! Nihilominus omnes has feminas unius speciei esse censeo, limitem enim certum inter exempla, quorum oculi medii aream rectangulam occupant, et ea, quorum area haec evidenter trapezica est, nullum invenire possum. Mares omnes, quos vidi, prope 70, palporum et mandibularum formâ cum *D. puellâ* in ins. Porto Santo inventâ, neque cum *D. flavescenti* conveniunt.

Exempla Maderiana non parum variant staturâ: mares 1·9—2·8 longi, cephalothorace 0·88—1·24, feminae 2·2—3·6 longae, cephalothorace 0·95—1·24 longo.

Dictyna civica (H. Luc.).

Theridion civicum, H. Lucas 1849. Description et figure d'une nouvelle espèce d'Aranéide, appartenant au genre Théridion (Ann. Soc. entom. France, 2 ser., v. 8), p. 181, t. 6, n. 5.

Exempla sat multa, adulta et iuniora, obscure colorata, in ins. Madera collecta, non differunt ab exemplis Croaticis.

Oecobiidae.

Oecobius H. Luc.

Oecobius navus Blackw. (Tab. VI, fig. 12—14, 17, 18).

Oecobius navus, Blackwall 1859. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 3. s., v. 4, p. 266). — Id. 1862. Descriptions cet. (l. c., 3. ser., v. 9, p. 382).

Oculi medii postici, quos Blackwallius non animadvertit, non elongato triangulares lateribus exterioribus parallelis, ut eos pro *Oec. annulipede* H. Luc. Cel. E. Simon delineavit [1]), sed potius elongato elliptici aut elongato rhomboidales angulis rotundatis mihi videntur, et insigniter obliqui. Margines postici oculorum quatuor posteriorum lineam minus procurvam designant, quam in figurâ illâ Cel. Simonii.

Pedes paullo inaequali sunt longitudine: feminae cephalothorace 0·81 mm longo, 0·93 lato, pedes I: 3·44, II: 3·67, III: 3·47, IV: 3·67, pedum I. femur 0·88, patella 0·36, tibia 0·70, metatarsus 0·68, tarsus 0·55, pedum II. partes: 0·91, 0·36, 0·75, 0·76, 0·57, pedum III: 0·91, 0·34, 0·68, 0·75, 0·52, IV: 0·93, 0·37, 0·75, 0·85, 0·52, maris cephalothorace 0·81 longo, 0·97 lato, pedes I: 3·25, II: 3·48, III: 3·41, IV:

---

[1]) Hist. nat. v. 1, f. 197. — In „Les Arachnides de France", v. 2, p. 10, oculi medii postici *Oecobii annulipedis* tamen valde obliqui describuntur.

3·57, pedum I. partes: 0·85, 0·33, 0·67, 0·65, 0·47, pedum II: 0·88, 0·33, 0·75, 0·73, 0·50, III: 0·88, 0·33, 0·70, 0·78, 0·49, IV: 0·91, 0·33, 0·72, 0·88, 0·50 mm. longae sunt.

Area *epigynae* (fig. 12) sat magna, rotundata, circiter 0·4 longa et lata, modice dura, sat fortiter et paene aequabiliter convexa, in dimidio posteriore vero in sulcum excavata latum, marginibus obtusis definitum, posteriora versus plus minusve, modice dilatatum; sulcus magnam partem repletur ligulâ corneâ, paullo ante mediam partem areae initium capienti, ibique adnatâ, ceterum liberâ, formâ paullo varianti, circiter sesquiplo longiore quam latiore, elongato ovatâ, aut lateribus fere parallelis, basi dilatatâ; basis ligulae et partes areae vicinae subtiliter, in universum concentrice striatae [1]). — Maris *palpi* (fig. 13, 14, 18) parte femorali rectâ, paullo clavatâ, circiter $2^1/_2$ longiore quam crassiore; pars patellaris eâ duplo brevior, paullulum longior quam latior; pars tibialis dimidiâ parte patellari non multo longior, aeque lata, circiter dimidio latior quam longior, lateribus sat fortiter convexis; pars tarsalis circiter $^1/_4$ longior quam femoralis, non duplo longior quam patellaris cum tibiali, sesquiplo longior quam latior, oblique ovata, basi paullo oblique truncata, apice acuminata, modice convexa; alveolus totam fere partem inferiorem laminae tarsalis occupat. Bulbus genitalis insigniter prominet; „pars basalis“ („bulbe“ E. Sim.) omnia latera eius occupat, insigniter tamen latior est antice quam postice, „pars terminalis“ enim tota fere in dimidio posteriore iacet, a latere utroque spatiis paene aequalibus remota; pars basalis sulco ornatur ad marginem posticum „partis terminalis“ initium capienti, in parte exteriore anticâ marginem alveoli attingenti, ad marginem anticum „partis terminalis“ verum tuberculo nigro nitido instructa est. „Pars terminalis“ e processibus tribus imprimis constat, deorsum et anteriora versus directis, maximam partem parum aut modice duris; postice initium capit processus a basi paullo intus directus, apicem versus fortiter compressus (transverse positus), apice in dentes divisus duos, quorum exterior paullo minor et magis acutus, interior apice late rotundatus est; ad basim in latere superiore exteriore processus hic dente ornatur nigro parvo, qui difficilius conspicitur; processus secundus ad primum, apici bulbi et lateri exteriori propius situs, apice insigniter longius anteriora versus productus, basi crassus et inaequalis, quasi contortus, in latere antico exteriore costâ parvâ nigrâ nitidâ curvatâ instructus, in latere interiore dente acuto ornatus; ceterum processus hic fortiter, praesertim in parte apicali, compressus

[1]) In uno exemplo ligulam epigynae defractam et sulcum solito minus profundum inveni.

est, a latere latus, ab imo angustus et leviter sigmoideus videtur, apice rotundatus est; processus tertius inter ambos priores, apici bulbi propius situs, a latere exteriore totus processu secundo occultatur, non compressus est, apice inaequali, ad apicem infra transverse plicatus; in palpo ab imo viso processus hic spinam occultat profundius sitam, nigram gracilem, deorsum curvatam, quae a latere interiore conspicitur et probabiliter embolus est.

Variat haec species paullo *staturâ;* mas minimus, quem vidi, 1·5 longus, cephalothorace 0·73 longo, 0·80 lato, maximus 2·0 longus, cephalothorace 0·88 longo, 1·02 lato; feminae 1·75—3·0 longae, cephalothorace 0·80—0·95 longo, 0·88—1·12 lato.

Pictura (fig. 17) non parum mutabilis, ordinaria haec videtur: *Cephalothorax* dilute flavo-testaceus, marginibus — postico et medio antico exceptis — nigris, maculâ castaneâ aut fuligineâ, late ovatâ ornatus, oculos posticos et medios anticos amplectenti, postice angustatâ et saepe usque ad marginem posticum productâ; supra palpum utrumque macula colore similis, maior, supra margines laterales, ab eis remotae, maculae minores utrimque tres; quae maculae non raro evanescunt pro parte saltem (maculae supra coxas I. et II. sitae magis sibi constantes quam posticae). *Palpi* et *pedes* cephalothorace plerumque paullulo pallidiores, pallidius aut obscurius umbrino aut fuligineo maculati: palporum pars femoralis prope apicem in latere utroque, pars patellaris in latere interiore, tibialis in utroque latere et supra maculis singulis ornata, pars tarsalis apicem versus infuscata; coxae I. ad apicem in latere utroque, II. in postico, trochanteres I. et II. in latere postico maculati; femora annulis binis, prope medium et in apice ornata, incompletis et interruptis, patellae in lateribus maculatae, tibiae et metatarsi annulis binis picta. *Abdomen* fulvum aut cinereo-umbrinum, in dorso et in laterum parte superiore albo maculatum plerumque adeo dense, ut album evadat, obscurius modo reticulatum; venter obsolete aut non albo maculatus; dorsum antice et in laterum parte anteriore fasciâ cinctum fuligineâ aut nigrâ, cuius apices plus minusve dilatati in aream dorsi paullo ante eius mediam longitudinem ingrediuntur; in lineâ mediâ dorsum vittâ ornatur lanceolatâ, maiore ex parte in dimidio anteriore sitâ, marginem anticum longe non attingenti, posteriora versus in universum angustatâ, utrimque in dentes tres gradatim minores dilatatâ: ad apicem anticum, prope ab apice postico et in eo; cum apice dentis antici utriusque plerumque lineola coniungitur retro fere (parum foras) directa, modice expressa, puncto plerumque evidentiori finita, dentem secundum non attingens; rarius dentes antici foras et retro paullo producti et cum lineolis brevibus foras et anteriora versus directis coniuncti, **W** illud formant,

cuius mentionem fecit Blackwall l. c. Dentes quatuor posteriores in ramulos excurrunt tenues, retro et foras directos, plerumque bene expressos. In $^4/_5$ aut $^3/_4$ longitudinis dorsum pari macularum ornatur formâ insigniter variantium, saepe quadrangularium et inter se et a lateribus dorsi spatiis subaequalibus distantium; maculas has ramuli supra dicti postremi attingunt; earum margines antici lineâ plerumque coniunguntur transversâ, in lateribus dorsi dilatatâ; nonnunquam maculae hae formam literarum **V** habent, apice intus directarum, inter se modo distinctarum, modo late confusarum. Prope mamillas abdomen utrimque vittâ obliquâ pictum est. Praeter haec dorsum abdominis in latere utroque pone apicem fasciae anticae maculâ ornatur formâ varianti, paullo pone marginem anticum vero pari punctorum aut lineolarum parvarum obliquarum: foras et retro directarum. Cum fasciâ commodo commemoratâ in lateribus abdominis antice vitta coniungitur retro et deorsum directa, mediam longitudinem abdominis attingens aut longior; in dimidio posteriore latera abdominis infra vittâ obliquâ minore ornantur. Venter postice, in utroque latere areae mamillarum maculâ plus minus rotundatâ aut vittâ oblongâ brevi pictus. Tota haec pictura partim umbrina partim fuliginea. In exemplis obscurius coloratis maculae optime expressae et plus minusve dilatatae inveniuntur; in pallidis evanescunt nonnunquam adeo, ut cephalothorax totus cum palpis et pedibus picturâ obscurâ omnino careat (oculis modo anticis mediis et lateralibus posticis, nigris, exceptis), abdomen vero dilute fulvum, parce albo punctatum, vix vestigia ulla vittae lanceolatae mediae (punctum in medio fere dorso situm) et macularum in parte posticâ dorsi praebeat.

Cephalothorax pilis longis albis adpressis, non densis ornatur, abdomen inter pilos breves pallidos, modice congestos pilis longioribus obscuris instructum videtur. (Exempla omnia, quae vidi, plus minusve detrita sunt).

Oecobius navus Maderianus ab exemplis huius speciei in Americâ meridionali captis et dono mihi a Cel. W. Bösenbergio datis, nullâ re differre videtur.

Scytodidae.

Loxosceles Lowe.

L. rufescens (L. Duf.)?

? *Scytodes rufescens*, L. Dufour 1820. Ann. gén. d. sciences physiques, v. 4, p. 48.

In ins. Maderâ collecta sunt exempla pauca (inter ea mares adulti duo) *Loxoscelis*, quam ut *L. rufescentem* Duf. profero, quoniam teste Cel. E. Simonio haec species insulas Oceani Atlantici incolit. Fateor

tamen, non satis mihi perspicuum esse, quibus rebus differant inter se *L. rufescens* L. Duf. et *L. erythrocephala* C. L. Koch, adeo ut nesciam, utri harum specierum subiungenda sit potius *Loxosceles* Maderam incolens. Mas noster alter, minor (ca. $5^1/_2$ mm. longus, cephalothorace 2·5 longo, 2·2 lato, pedibus II. 15·9, IV. 14·7, tibiâ II. 4·45, IV. 3·64 longâ), colore optime cum „*Scytode erythrocephala*" a C. L. Kochio depictâ [1]) convenit; alter maior (7 mm. longus cephalothorace 3·2 longo, 2·9 lato, pedibus II. 27·9, IV. 22·1, tibiâ II. 8·07, IV. 5·84 longâ) obscurius coloratus est (ex gr. pars thoracica rufo-flavida, pedum femora dilute ferruginea), magis itaque cum *L. rufescenti* convenire videtur [2]). Non differunt exempla haec inter se altitudine clypei, qui in cephalothorace desuper adspecto brevior videtur quam area oculis occupata. Desuper visus clypeus exempli minoris (*L. erythrocephalae* similis) paullo truncatus est, exempli maioris rotundatus (teste Cel. E. Simonio clypeus *L. erythrocephalae* rotundatus est, *L. rufescentis* truncatus); inter oculos laterales pars cephalica in utroque exemplo plana. In palporum formâ nullam differentiam inveni. Certo itaque mares hi ambo unius sunt speciei. — Feminae ambae, quas vidi, (an adultae ?), staturâ et colore mari minori similes sunt.

Scytodes Latr.

S. thoracica Latr. (Tab. VI, fig. 15).

Aranea (*Scytodes*) *thoracica*, Latreille 1804. Tabl. méth d. Ins.

Ins. Madera: feminae aliquot et pulli.

S. velutina Lowe. (Tab. VI, fig. 16).

Scytodes velutina Lowe 1831. Zoolog. Journal. v. 5, p. 322.

Ins. Madera: feminae adultae et exempla non adulta.

Exempla adulta valde obscure colorata sunt, nonnunquam omnino fere nigra; in spiritum vini immersa tamen etiam haec exempla vestigia plus minusve manifesta picturae eius praebent, quâ iuniores ornantur. Horum cephalothorax (fig. 16) fulvo-ferrugineus est colore nigrofuligineo pictus: limbo marginali ornatur parum lato, posteriora versus plus minusve dilatato, utrimque e margine superiore dentes emittenti elongatos tres, sursum et retro directos, leviter sursum curvatos, qui intervallis: palporum et pedum I, pedum I. et II, pedum II. et III, respondent et longitudine quartam partem latitudinis cephalothoracis

---

[1]) C. L. Koch. Die Arachniden, v. 5, p. 90, f. 399, 400.

[2]) E. Simon. Aranéides nouveaux ou peu connus du Midi de l'Europe, 2. mém., pag, 38.

non superant saltem. Clypeum macula occupat obscura, quae etiam oculos omnes amplectitur et nonnunquam ad marginem clypei maculis duabus transversis pallidioribus, parum expressis ornatur. In sinu, in quem macula haec obscura postice inter oculos excisa est, linea mediana initium capit tenuis, modo usque ad medium cephalothoracem saltem pertinens, modo multo brevior, aut antice tantum optime expressa, posterius parum distincta. Prope ab hac lineâ medianâ cephalothorax utrimque maculâ elongatâ ornatur, ad oculos laterales initium capienti et hic cum maculâ anticâ cephalothoracis confusâ, postice circiter ad $^4/_5$ cephalothoracis pertinenti, e vittis compositâ duabus sat latis, paullo inaequalibus, antice et in dimidio cephalothoracis posteriore inter se confusis, ceterum vittâ pallidâ angustâ, retro et parum intus directâ distinctis; vittae obscurae interiores paene rectae sunt et in longitudinem directae, exteriores vero modice sigmoideo-curvatae: ab oculis lateralibus retro et parum foras directae, tum modice intus, apice vero plerumque paullo fortius et brevius foras curvatae. Pedes cephalothorace paullo pallidiores, maximam partem subconcolores, in tibiarum basi et apice modo ornati annulis obscurioribus, modice aut parum manifestis, nonnunquam melius in pedibus posterioribus expressis. Abdomen (quod in exemplis nostris pallidioribus omnibus, excepto uno, valde contusum est) pallidum, in dorso toto fasciis transversis nigro-fuligineis, in medio latioribus et inter se confusis, latera versus angustatis ornatum.

Cel. E. Simon *Sc. velutinae* olim [1]) *Sc. amarantam* Vins. [2]) et *Sc. immaculatam* L. Koch [3]) ut synonyma subiunxit. *Scytodes immaculata* certo alia est species, ut cuius cephalothorax aeque longus atque tibia IV, pars tibialis palporum triplo fere longior quam latior describatur, quum *Sc. velutinae* tibia IV. insigniter brevior sit cephalothorace (cephalothorax 2·6, tibia IV. 2·0, cum patellâ 2·65 longa) et palporum pars tibialis vix duplo longior quam latior. — An *Sc. amaranta* revera synonymum sit *Sc. velutinae*, ulterius inquirendum videtur; facile crediderim *Sc. amarantam* non solum provectâ aetate carere picturâ evidentiori, quum cephalothorax et abdomen maris flavido-rufa, pedes rufescenti-flavi a Vinsonio describantur. Si tamen species haec secundum exempla aetate confecta descripta est, tum propter defectum picturae evidentioris solam *Scytodi velutinae* subiungi non debet, quoniam etiam

[1]) E. Simon, Études arachnologiques, 14. mém. (Ann. Soc. entom. France 1883, s. 6, v. 3) p. 282.

[2]) Aug. Vinson, Aranéides des îles de la Réunion, Maurice et Madagascar, 1863, p. 9, t. 1, f. 2.

[3]) L. Koch, Aegyptische und Abyssinische Arachniden, 1875, p. 27, t. 3, f. 2.

nonnullae aliae species huius generis hunc in modum mutant colorem progrediente aetate.

Verisimillimum synonymum *Sc. velutinae* contra *Sc. delicatula* E. Sim. mihi videtur, non male enim in speciem illam quadrat descriptio huius apud Cel. E. Simonium [1]) et figura „varietatis" *Scytodis thoracicae* apud H. Lucasium [2]), quae teste Cel. Simonio *Sc. delicatulam* repraesentat.

Oonopidae.

Opopaea E. Sim.

O.? concolor (Blackw.). (Tab. VI, fig. 25).

Oonops concolor, Blackwall 1859. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 4, p. 265).

Ins. Madera: mas unicus.

Exemplum nostrum 1·4 mm. longum est, cephalothorace 0·55 longo, 0·44 lato, abdomine 0·8 longo, 0·45 lato. Scutum dorsuale *cephalothoracis* ovatum, paullo pone medium latissimum, antice fortiter angustatum lateribus levissime sinuatis, postice truncatum et leviter emarginatum, margine postico — qui ca. 0·19 longus est — cum marginibus lateralibus in angulos evidentissimos, quamquam apice rotundatos coëunti, arcum deorsum curvatum formanti, quum a parte posticâ adspicitur; humile est hoc scutum, 0·15 modo altum, dorso paene recto et librato, parte posticâ brevi fortiter declivi; margo eius leviter incrassatus, dorsum laeve, declivitas postica sublaevis, partes laterales sat fortiter in longitudinem reticulato-striatae; pilis modo paucis, longis ornatur cephalothorax. Oculorum area 0·16 lata, series posterior recta, eius oculi subaequales, medii paullo oblongi, inter se contingentes, a lateralibus, qui rotundati videntur, spatiis minutis remoti; oculi antici rotundi, reliquis maiores, inter se ca. $^1/_4$ diametri, a margine clypei circiter radio, ab oculis posticis mediis paullo minus quam inter se distant, cum posticis lateralibus fere contingunt. *Maxillae* fortiter in labium inclinatae (magis fere intus quam anteriora versus directae), latere interiore maximam partem recto, in parte apicali in longitudinem non late truncato, margine exteriore sinuato, apice corneo acuto; palpi parti maxillarum basali dilatatae antice adnati. *Labium* duplo circiter brevius quam maxillae, triangulari-semicirculare. *Palporum* (fig. 25) pars femoralis 0·097

---

[1]) E. Simon, Aranéides nouveaux ou peu connus du Midi de l'Europe, 2-e mém., p. 39.

[2]) H. Lucas 1849 in: Exploration scientif. de l'Algérie Zoologie III. t. 2. f. 3.

longa, 0·049 crassa, apicem versus fortiter attenuata, conica fere; pars patellaris maxima, 0·178 longa, 0·114 crassa, ellipsoidea fere; pars femoralis ei subter circiter in $^1/_3$ longitudinis adnata; pars tibialis minuta, parti patellari arcte adnata, adeo, ut partem eius modo apicalem formare videatur, a latere exteriore fere semiglobosa videtur, ca. 0·032 longa, in latere interiore autem basi partis tarsalis convexâ paullo occulta, ita ut hic pars patellaris cum tarsali inter se fere contingere videantur; pars tarsalis una cum bulbo genitali, qui cum ea omnino connatus, immobilis videtur, a latere adspecta 0·162 longa, in dimidio basali 0·070 crassa, basi ovata, longe et sat fortiter angustata, apice truncato et inaequali, fere recta; a fronte visa angustior, leviter paullo inaequabiliter incurvata, apice acuto intus directo, a medio fere inaequabiliter angustata; apex intus directus e dentibus duobus evidentioribus et duobus interiectis minimis constare videtur; in dimidio basali pars tarsalis pilosa est, in apicali (quod certo bulbo genitali respondet) glabra. *Sternum* punctis dispersis paucis ornatum, ceterum laeve, 0·40 longum, 0·31 latum, antice truncatum et 0·23 latum, postice etiam truncatum; coxae IV. 0·11 mm. inter se remotae. *Pedes* inermes, anticorum coxa 1·16, trochanter 0·065, femur 0·34, tibia 0·18, metatarsus 0·21, tarsus 0·13, pedum II. partes: 0·15, 0·048, 0·31, 0·18, 0·19, 0·19, 0·13, pedum III.: 0·11, 0·04, 0·26, 0·14, 0·15, 0·16, 0·11, IV.: coxa 0·13, troch. 0·048, femur 0·36 mm. longum (reliquae partes pedum IV. desunt). *Abdomen* scutis duobus corneis instructum, totum fere dorsum et totum fere ventrem tegentibus; mamillae cingulo corneo infra cinctae; scutum dorsuale sat dense et modice profunde, ventrale obsolete et minus dense punctatum.

Cephalothorax dilute fulvus, margine paullo obscuriore, oculi in maculâ nigrâ siti; partes oris, sternum fulvo-flavida; pedes flavidi; palpi dilute fulvi; *abdominis* partes corneae ferrugineo-fulvae, reliquae albidae.

Dysderidae.

Dysdera Latr.

D. crocota C. L. Koch.

Dysdera crocota, C. L. Koch 1839. Die Arachniden, v. 5, p. 81, f. 392—4.

Madera, ins. Porto Santo; exempla sat multa, pleraque adulta.

D. diversa Blackw.

Dysdera diversa, Blackwall 1862. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 4, p. 381).

Madera; feminae adultae duae.

Cephalothorax 3·5 mm. longus, 2·9 latus, antice modice angustatus, lateribus leviter sinuatis, inter sinus, qui circiter in $^1/_5$ longitudinis siti sunt, 1·9 latus, lateribus partis cephalicae modice inter se appropinquantibus anteriora versus et magnam partem rectis; sat altus est cephalothorax: scuto dorsuali ca. 1·4 alto, a margine postico usque ad oculos paene aequabiliter et sat fortiter convexo, a medio fere aut in $^1/_3$ anticâ saltem oculos versus descendenti, subopacus, dense subtiliter et — in parte thoracicâ saltem — aequabiliter granulatus et insuper granulis paullo maioribus (certo pilos gerentibus, qui tamen in exemplis nostris plerique abrasi sunt) dispersis, in areolis parum expressis nitidis sitis ornatus; sculptura partis cephalicae magis inaequalis et obsolete vermiculata, praesertim anterius in lateribus. *Oculorum* series posterior sat fortiter procurva: marginibus posticis lineam designantibus modice procurvam; oculi medii angulato-rotundati, inter se spatio parvo, a lateralibus duplo aut triplo longius (quartâ aut quintâ parte diametri sui) remoti; laterales paullulum maiores, paullulum oblongi, diametro breviore aeque circiter longâ atque diameter mediorum; oculi antici paullulo aut non maiores lateralibus posticis, paullulum transversi, inter se circiter diametro suâ minore, ab oculis mediis posticis modo $^2/_3$ diametri minoris, modo totâ fere hac diametro, a margine elevato clypei circiter $^4/_5$ eiusdem diametri aut totâ hac diametro remoti, cum oculis lateralibus posticis fere contingentes. *Mandibulae* 1·3 longae, sat fortiter proiectae, desuper simulque a fronte visae fere conicae, dorso sub clypeo modice et late convexo, ceterum recto, latere interiore superiore, quum desuper simulque a parte exteriore adspicitur, levissime modo concavo (basi exceptâ), marginibus exterioribus desuper visis paullulum modo convexis et inter se in universum parallelis; subtilissime reticulatae (granulatae) sunt mandibulae praesertim basim versus, disperse pilosae, valde obsolete transverse rugosae, obsolete disperse punctatae. *Sternum* totum aut fere totum crasse vermiculatum (nota certo non constans!), subopacum. *Palporum* pars patellaris duplo longior quam latior, 0·75 longa, tibialis evidenter angustior, ea quoque ca. duplo longior quam latior, 0·65 longa, tarsalis parum angustior quam tibialis, 0·95 longa, ca. triplo longior quam latior. Palpi et *pedes* quatuor anteriores et femora III. et patellae tarsique pedum quatuor posteriorum inermia; tibia III. subter aculeis 1.2 (in apice) aut 2.2, antice 2.1 aut 2.2 aut 2.1.2, postice 1.1 aut 2.2, metatarsi III. in utroque latere et subter aut etiam supra aculeati, aculeis — praeter apicales — 10 usque ad 20, femora IV. supra pone basim aculeis 2 aut 1, tibia IV. in utroque latere aculeis saltem 1.1 ornata, etiam subter, nonnunquam etiam supra aculeata, metatarsi IV. abunde aculeati in utroque latere et subter aut

etiam supra. Pedes I. 9·5, II. 9·3, III. 7·3, IV. 10·2, pedum I. femur 2·41, patella 1·60, tibia 1·93, metatarsus 1·93, tarsus 0·54, pedum II. partes 2·26, 1·53, 1·82, 1·89, 0·54, pedum III. 1·97, 1·16, 1·20, 1·85, 0·54, IV. 2·55, 1·46, 1·89, 2·55, 0·66 longae. *Abdomen* 4·4 longum, 2·5 latum, formâ ordinariâ.

Alterum exemplum (uberius aculeatum) maius, cephalothorace 4·1 longo, 3·35 lato, parte cephalicâ 2·18 latâ, mandibulis 1·9 longis, pedum I. patellâ 1·82, tibiâ 2·11, pedum IV. patellâ 1·75, tibiâ 2·18, abdomine 4·7 longo, 2·6 lato.

Cephalothorax obscure castaneus, mandibulae colore eodem aut badiae, palpi testacei, pedes latericii aut obscure testacei, anteriores posterioribus obscuriores, femora anteriora saltem leviter infuscata; *abdomen* dilute umbrinum aut obscure avellaneum.

D. Wollastonii Blackw. (Tab. VI, fig. 22—24).

Dysdera Wollastoni, Blackwall 1864. Notice of Spiders, indigenous to the Salvages, received from the Barão do Castello de Paiva. (Ann. a. Mag. Nat. Hist, 3 s., v. 14, p. 179).

In insulis Selvages dictis lectae sunt feminae paucae et mas unus.

Femina.

Cephalothorax 4·5 mm. longus, 3·5 latus (aut minor: 3·85 longus, 2·9 latus), antice modice angustatus lateribus evidentissime sinuatis, inter sinus, qui in $^1/_5$ longitudinis iacent, 2·6 latus; latera partis cephalicae modo 0·4 longa, anteriora versus a se modo levissime modo evidentissime discedentia. Non altus est cephalothorax (scuto dorsuali ca. 1·4 alto), dorso modice et paullo inaequabiliter arcuato, magnam partem paene librato, in parte anticâ brevi oculos versus modice descendenti, pilis tenuissimis pronis mediocriter dense instructus, parum nitens (in parte cephalicâ paullo fortius quam in thoracicâ), densissime et valde subtiliter reticulatus; puncta piligera maculas formant minutas opacas, parum impressas, areolis nitidis nullis circumdatas; pars cephalica in lateribus anterius subtilissime non dense transverse plicata, antice valde obsolete vermiculata. Area *oculorum* 0·8 lata; series posterior modice procurva, marginibus oculorum posticis lineam designantibus paullo procurvam, oculi medii rotundati aut paullo obliqui, inter se proximi, circiter $^1/_4$ diametri remoti a lateralibus, qui aliquantum maiores sunt (diametro longiore fortasse $^1/_6$ maiore quam diameter mediorum), paullulum oblongi, oculis anticis proximi; oculorum anticorum diameter dimidio circiter longior quam diameter posticorum mediorum, intervallum $^1/_3$ diametri parum maius aut eius dimidio aequale; oculi hi rotundati sunt, parum latiores quam longiores, a clypei margine acuto et ab oculis mediis posticis spatiis fere aequalibus, dimidiâ diametro parum maioribus,

aut ab oculis his spatio evidenter maiore distant. *Mandibulae* 2·1 longae, modice proiectae, dorso sub clypeo sat fortiter et aequabiliter convexo, non carinato, desuper visae conicae (basi exceptâ), lateribus exterioribus paene rectis et fere parallelis aut anteriora versus parum inter se appropinquantibus, a latere visae dorso (basi convexâ exceptâ) superius leviter convexo, apicem versus recto, latere superiore interiore formâ simili, non excavato; modice nitidae sunt mandibulae, sat dense granis elevatis, pilos gerentibus, praesertim in parte basali interiore evolutis instructae, valde obsolete et disperse transverse plicatae. *Sternum* nitidum, punctis leviter impressis, pilos gerentibus, dispersis ornatum, ceterum modo laeve, modo leviter vermiculatum praesertim in partibus impressis. *Palporum* pars patellaris 1·1 longa, duplo et dimidio longior quam prope apicem latior; pars tibialis 0·88 longa, 0·38 lata, tarsalis 1·24 longa, 0·32 lata. Palpi et *pedes* anteriores, pedum posteriorum patellae et tarsi, femur III. inermia; tibia III. supra inermis aut pone basim aculeis 2 aut 3 armata, in latere utroque 1.1 aut in postico 1, subter in apice 2, in latere antico inferiore 1.1 (rarius 1) ornata; metatarsus III. supra inermis, in latere utroque et subter aculeis — praeter apicales — circiter 9 instructus; femur IV. supra aculeis 5 aut 9, pro parte in seriem longitudinalem unam duasve dispositis, tibia IV. supra inermis, in latere antico aculeis 1.1 aut 1 aut 0, in postico 1.1, subter praeter aculeos apicales aculeis 1 aut 4; metatarsus IV. supra inermis, in lateribus et subter aculeis 8—11 (praeter apicales) ornatus. Pedes I. 14·0, II. 12·7, III. 9·5, IV. 13·3, pedum I. femur 3·4, patella 2·4, tibia 2·9, metatarsus 3·0, tarsus 0·7, pedum II. partes: 3·0, 2·1, 2·5, 2·7, 0·7, pedum III. 2·6, 1·5, 1·65, 2·3, 0·7, IV. 3·4, 2·1, 2·55, 3·3, 0·8 longae. *Abdomen* 6·5 longum, 2·9 latum, paene cylindratum, antice rotundato-truncatum, postice rotundatum, pilis et aculeis similem in modum atque in mare ornatum videtur (in exemplis nostris maximam partem detritum).

Mas (unicus).

Cephalothorax 4·35 longus, 3·35 latus, antice 2·25 latus, lateribus partis cephalicae anteriora versus a se discedentibus. Area *oculorum* 0·75 lata; oculi antici inter se et ab oculis posticis mediis et a carina marginali clypei circiter dimidiâ diametro suâ maiore remoti. *Mandibulae* 2·05 longae. *Palporum* (fig. 22—24) pars patellaris 1·31 longa, 0·48 ad apicem lata, tibialis 1·13 longa, 0·44 lata, tarsalis 1·02 longa, in latere exteriore leviter dilatata et paullo ante medium aeque fere atque pars tibialis lata. Bulbus genitalis 1·6 longus, in latere postico exteriore dente ordinario instructus, parum longius a basi suâ quam ab apice remoto, paullo oblique fortiter compresso, leviter incurvato, supra corneo, subter membranaceo, a margine parietis cornei „corporis bulbi“

parum remoto et cum eo vittâ corneâ coniuncto. Corpus bulbi a latere visum circiter sescuplo longius quam latius, basi oblique rotundatum, latere antico paene recto, postico modice et paene aequabiliter convexo; a fronte visum fere symmetricum, lateribus leviter convexis. Scapus bulbi deorsum et anteriora versus et paullulum intus directus, apicem versus fortiter complanatus et leviter contortus; a fronte simulque paullo a latere interiore visus latus, apicem versus primo leviter et paullo inaequabiliter dilatatus, tum in parte apicali minore fortiter angustatus, apice angulum formanti recto minorem; latus anticum scapi maximam partem corneum est, paries corneus apicem versus fortiter dilatatus etiam in latus posticum diffunditur et eius partem exteriorem tegit; in latere hoc margo parietis cornei carinulam format acutam arcuatam, quae non procul ab apice scapi (lateri interiori propius) setam emittit gracillimam, procurvam, non longam; a latere visus scapus subter usque ad apicem dentis postici parum modo curvatus et inaequalis est, supra autem in lobos duos rotundatos dilatatus, quorum alter altero pro parte occultatur; horum loborum exterior, paullo minor et tenuior, subpellucidus, a margine ipso scapi exteriore dilatato et anteriora versus flexo formatur, interior vero carina est prope a margine scapi interiore sita, in ipso apice scapi initium capiens; inter hos lobos, lateri exteriori propius, scapus alulâ membranaceâ parvâ ornatur. *Tibia* III. exempli nostri supra inermis, in latere postico aculeo 1, in antico 1.1, in antico inferiore 1.1, subter in apice 2, femur IV. supra alterum aculeis 6, alterum 7, tibia IV. supra et antice inermis, postice aculeis 1.1, subter 2.1 et in apice 2, metatarsus IV. aculeis — praeter apicales — 9 aut 10 in lateribus et subter armatus. Pedes I. 15·5, II. 13·5, III. 9·7, IV. 13·5, pedum I. femur 3·65, patella 2·47, tibia 3·28, metatarsus 3·43, tarsus 0·80, pedum II. partes 3·13, 2·26, 2·73, 3·06, 0·80, pedum III. 2·48, 1·57, 1·68, 2·44, 0·76, IV. 3·43, 2·00, 2·55, 3·35, 0·84 longae. *Abdomen* 5·0 longum, 2·8 latum, subter et in laterum parte inferiore sat dense setis tenuibus patentibus pallidis instructum, ceterum setis et aculeis nigricantibus sat densis, circiter 0·12 longis, ornatum: dorsi partem maximam aculei occupant, fere recti, sursum et paullo retro directi, paullo compressi (a latere crassiores videntur), apice breviter acuminati, ceterum crassitudine fere aequali; in lateribus ventrem versus aculei tenuiores fiunt; dorsi pars anterior setis instructa crassiusculis, similem in modum directis, paullo recurvatis.

Feminae et maris *cephalothorax* latericius, marginibus nigricantibus, antice ut mandibulae badius, pedes anteriores et palpi ruto-testacei, apicem versus pallidiores, pedes posteriores flavo-testacei; *abdomen*

colore medio inter avellaneum et isabellinum, supra aculeis et setis nigris ornatum.

Segestria Latr.

S. florentina (Rossi).

Aranea florentina, Rossi 1790. Fauna Etrusca, v. 2, p. 133.

Madera, Porto Santo. Collecta sunt exempla multa, adulta et iuniora.

E. Keyserling olim feminas *Segestriae florentinae* a *S. ruficipiti* Guér. et a *S. madagascarensi* Keys. pedibus I. $3^9/_{10}$ longioribus quam cephalothorax, femoribus I. cephalothorace insigniter brevioribus et aeque longis atque tibiae I., metatarsis III. et IV aeque longis distinxit [1]). — Notae hae pro parte non rectae aut non satis accuratae mihi videntur. In feminis *S. florentinae* aliquot dimensis [2]) pedes anticos 2·8, 3·0 aut 3·1 longiores quam cephalothoracem inveni ($3^9/_{10}$ apud Keyserlingium fortasse lapsus est pro $2^9/_{10}$!), femur I. saepissime longius quam tibiam I, metatarsos III. constanter longiores quam IV. In exemplo quodam dono mihi a Cel. W. Bösenbergio dato, probabiliter in Americâ meridionali capto, femoris I. longitudo cum cephalothorace et cum tibia I. comparata, eadem fere est atque in *S. ruficipiti* E. Keys., sed metatarsi III. longiores quam IV. !.

Mas *S. florentinae* differt teste E. Keyserlingio pedibus I. modo $3^1/_{16}$ longioribus quam cephalothorax (neque $4^1/_{10}$), femoribus I. aeque longis atque cephalothorax et femur II., tibiis III. paullo longioribus quam metatarsus III. Etiam hae notae paullo dubiae sunt: mas in insula Madera captus, cephalothorace 5·0 longo, pedes I. 18·7, femur I. 5·32, femur II. 5·10, tibiam III. 5·03, metatarsum III. 4·96 longum habet, pedes I. itaque cephalothorace fere $3^3/_4$ longiores, femur I. longius quam cephalothorax et quam femur II., tibiam III. paullulo longiorem quam metatarsus III. Alius maris in Croatiâ lecti cephalothorax 8·0 longus, pedes I. 26·8 (circiter $3^1/_3$ longiores quam cephalothorax) femur I. 7·29, femur II. 7·07, tibia III. 6·78, metatarsus 6·78 longus!

---

[1]) E. v. Keyserling, Amerikanische Spinnenarten aus den Familien der Pholcoidae, Scytodoidae und Dysderoidae. Abhandl. zool. botan. Gesellsch. Wien 1877, p. 223.

[2])

	Cephaloth.	Pedes I.	Femur I.	Tibia I.	Metatar. III.	Metatar. IV.
Feminae Maderianae:	7·2	20·3	5·83	5·39	4·15	3·86 mm.
	7·5	22·5	6·56	6·05	4·52	4·30
	7·3	22·0	6·41	6·19	4·37	4.30
Feminae Croaticae	7·5	23·2	6.41	6·12	4·74	4·37
	7·3	22·0	5·97	5·97	4·37	4·16
Femina Italica	8·0	23·7	6·56	6·49	5·03	4·45
Femina Americana (?)	6·6	20·5	6·05	5·39	4·37	3·94

Crediderim potius, *Segestriam florentinam* variare paullo pedum longitudine, quam *S. ruficipitem* et *S. madagascarensem* (quas non novi) species esse proprias!

Ariadna Sav.

A. Porti-Sancti n. sp.?

Ariadna, cuius exempla duo lecta sunt in insula Porto Santo, differt ab *A. maderianâ* a Cel. C. Warburtonio descriptâ[1]), quae insulam „Deserta Grande" incolit, femoribus non solum I. sed etiam II. et III. aculeatis, fortasse itaque propria species est (?).

Femina.

Cephalothorax 3·7 mm longus, 2·2 latus, lateribus leviter et fere aequabiliter rotundatis, levissime modo, neque tam fortiter ut in figurâ Cel. Warburtonii, undatis, antice — supra basim palporum — 1·6 latus, dorso sat fortiter et parum inaequabiliter convexo, oculis posticis multo demissius sitis quam punctum summum dorsi; praeter impressiones cephalicas, latas, diffusas, non profundas, in partibus lateralibus modo distinctas, caret cephalothorax impressionibus evidentioribus, parum nitet, densissime subtiliter reticulatus est, in clypeo abunde et longe, ceterum longe quidem sed parce pilosus. Area *oculorum* 0·83 lata; oculi omnes subaequales (laterales postici reliquis paullulo maiores), medii cum lateralibus posticis, desuper adspecti, lineam insigniter recurvatam designant, paullulo oblongi sunt, inter se proximi, a lateralibus posticis perparum longius quam diametro suâ maiore remoti, oculis lateralibus anticis paullulo propiores; laterales postici paullulum obliqui, ab anticis, qui rotundati sunt, spatio minuto quidem sed evidenti remoti, cum eis tuberculo sat prominenti obliquo innati; oculi laterales antici inter se fere triplâ, a clypei margine fere sescuplâ suâ diametro distant. *Mandibulae* 1·1 longae, paene directae, nitidae, abunde et longe pilosae, punctis impressis (pilos gerentibus) ornatae, valde obsolete disperse transverse plicatae, in latere exteriore antico, sub margine cephalothoracis carinâ instructae transversâ, quae angulum optime expressum format, quum mandibula a fronte adspicitur. *Sternum* laeve nitidum, obsolete disperse impressopunctatum. *Palporum* pars patellaris 0·55 longa, 0·39 lata, tibialis 0·44 longa, 0·39 lata, tarsalis 0·8 longa, basi 0·36 lata, apicem versus insigniter angustata; pars tibialis et imprimis tarsalis dense pilosa, illius latus interius aculeis 3 aut 4, huius circiter 5 ornatum. *Pedum* I. femur 2·6, patella 1·17, tibia 1·90, metatarsus 2·04, tarsus 0·58, pedum II. partes

[1]) Warburton 1892. Spiders from Madeira. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 6 s., v. 10, p. 224, t. 14, f. 13).

2·2, 1·17, 1·90, 1·82, 0·58, pedum III. 1·75, 0 90, 1·28, 1·24, 0·58, IV. 2·33, 1·28, 1·79, 1·46, 0 58 mm. longae; femora IV. reliquis omnibus insigniter crassiora, sed non evidenter latiora quam femora I. Pedum armatura paullo mutabilis; femur I. in dimidio apicali lateris antici aculeo 1 forti ornatum, ceterum inerme aut aculeis debilioribus 1.1 aut 1, apici et dorso propioribus instructum, femur II. in latere antico superiore apicem versus aculeis 1.1, femur III. in eodem latere 1 aut 1.1, tibia I. subter ad latus utrumque aculeis 5 aut 6 (plerumque ad anticum 6, ad posticum 5), tibia II. in eisdem lateribus aculeis 6 aut 9, tibia III. subter ad latus posticum 1.1.1, nonnunquam etiam in latere postico 1, metatarsus I. subter utrimque 6 aut 8, metatarsus II. 7 aut 9, III. subter ad latus posticum 1.1 et in apice 2, in latere antico ad ipsum apicem 1 ornatus; pedes IV. in apice metatarsi subter ad latus anticum aculeo 1 instructi, ceterum inermes. *Abdomen* 5·3 longum, 2·6 latum, sat longe pilosum.

Cephalothorax fulvo-latericius, antice insigniter obscurior, mandibulae fuligineo-nigrae, pedes fulvo-flavidi, anteriores posterioribus obscuriores, tibiae I. nigro-castaneae, metatarsi et tarsi castaneo-nigri, pedum II. tibiae infuscatae, metatarsi castanei, tarsi colore simili, apicem versus pallidiores; palporum pars femoralis fulva, patellaris modice infuscata, tibialis castanea, tarsalis castaneo-nigra; sternum colore pedum posteriorum, maxillae et labium obscuriora. *Abdomen* sordide, subter dilute, supra obscurius olivaceum, dorso antice minus evidenter et angustius, posterius late et fortiter colore nigro-fuligineo suffuso.

Ariadna insidiatrix Sav. (*? Dysdera spinipes* H. Luc.), cuius exemplum unicum in Dalmatiâ lectum vidi, simillima quidem est *Ariadnae Porti Sancti*, differt tamen ab eâ imprimis oculis maioribus (oculi medii a lateralibus posticis minus quam diametro suâ, antici laterales inter se vix duplâ diametro, a clypei margine diametro modo distant), tibiis anticis non solum subter sed etiam in latere utroque aculeatis (aculeis 1.1.1), tibiis II. in latere antico aculeis 1.1.1, tibiis III. in latere antico pone medium aculeo 1 instructis (nonne constanter?). *Ariadna bicolor* (Hentz) (cuius feminam unam ud Washington captam dono mihi olim dedit Dr. G. Marx) armaturâ metatarsi III. et magnitudine oculorum similis est *A. insidiatrici* (oculi medii a lateralibus posticis non totâ diametro distant), oculi antici laterales eius tamen paullo oblongi obliqui, circiter $^4/_3$ diametri suae longioris distant a clypei margine; tibiae anteriores eius subter multo minus abunde aculeatae (I. utrimque aculeis 4, II. posterius 4, anterius 2 modo), in lateribus inermes. *Ariadnae Bösenbergii* Keys. tibiae anteriores subter utrimque aculeis 4 ornantur, in lateribus nullo, metatarsi III. in latere antico ut in *A. insidiatrice*

et *bicolore* aculeati, oculi antici laterales paullo oblongi obliqui inter se paullulo plus quam duplâ diametro maximâ, a clypei margine parum plus quam eâ diametro, oculi medii a lateralibus posticis longius quam diametro suâ transversâ distant (abdominis dorsum antice vittâ oblongâ, posterius fasciis transversis aliquot, fuscis pictum, colore tamen certo variat, quum ab E. Keyserlingio concolor describatur). — Reliquas *Ariadnas* ad hoc tempus descriptas non novi; secundum descriptiones (quae quidem non omnes satis sunt subtiles) differunt eae ab *A. Porti Sancti* modo pedibus posticis plus minusve abunde aculeatis (*A. segmentata* E. Sim., *A. nigra* E. Sim. — quarum descriptiones non novi; *A. dysderina* L. Koch — secundum figuram 2 tab. 35 in Die Arachniden Australiens v. 1), modo tibiis anterioribus non solum subter sed etiam pro parte saltem in lateribus aculeatis (*A. tovarensis* E. Sim., *A. tubicola* E. Sim., *A. solitaria* E. Sim., *A. monticola* Thor., *A. maxima* (Nic.), *A. dysderina* L. Koch, *A. caerulea* Keys.), modo tibiis eisdem subter aculeis non pluribus quam 2.2.2.2 armatis (*A. Snellemannii* (Hass.), *A. rubella* Keys., *A. monticola* Thor., *A. maxima* (Nic.), *A. dysderina* L. Koch, *A. caerulea* Keys.). — *Ariadnae ionicae* marem solum descripsit Rev. O. P. Cambridge (nonne = *A. insidiatrici?*). *Ariadna (Pylarus) pumila* Hentz teste H. Emertonio probabiliter pullus est *A. bicoloris*. *A. (Dysderam) coarctatam* nimis breviter descripsit Nicolet. *A. lateralis* Karschii, item parum subtiliter descripta, maior videtur quam *A. Porti Sancti* et alium in modum colorata.

Drassidae.

Drassodes Westr.

D. lapidicola (Walck.).

Aranea lapidosa, Walckenaer 1802. Faune Parisienne, v. 2, p. 222.

Ins. Madera; passim, sed non ubique, creber videtur.

Mares Maderiani variant staturâ, mandibularum longitudine et armaturâ, pedum longitudine, similem in modum atque exempla Europaea, a quibus non nisi mandibulis, cum cephalothorace comparatis, brevioribus et minus proiectis differre videntur.

Dr. (lutescens C. L. Koch var.?) speculator n. (Tab. VI, fig. 31).

Mares duo adulti in insulis „Selvages“ lecti non differre videntur a mare *D. lutescentis* (cuius feminam solam novi) nisi oculis anticis mediis paullo maioribus et areâ oculorum mediorum paullulo latiore. Oculi antici medii in exemplis his evidenter maiores sunt quam laterales, diametro non minore saltem quam horum diameter maxima, area oculorum mediorum antice $^1/_6$ aut $^1/_4$ diametri oculi latior quam postice et circi-

ter $^1/_3$ diametri oculi postici longior quam postice latior. *Drassodae lutescentis* oculi antici fere aequales sunt, diameter mediorum paullulo minor quam diameter maxima lateralium, area oculorum mediorum parum latior antice quam postice et $^2/_3$ saltem diametri oculi postici longior quam postice latior (secundum feminas in Dalmatia collectas).

Quae de palpis et mandibulis *Dr. lutescentis* scripsit Cel. E. Simon[1]), pleraque bene quadrant in exempla nostra; pars tibialis brevior quidem est in eis, sed evidenter variat longitudine, quum in altero exemplo aeque longa sit atque pars patellaris, in altero eam $^1/_4$ superet. Mandibulae exemplorum nostrorum in margine postico dentibus tribus ornantur: ad angulum uno sat forti, supra eum uno parvo, in margine apicali uno mediocri, angulo propius quam ungui mandibulae sito; mandibulae feminarum Dalmaticarum similem in modum armatae sunt, dens modo in margine apicali situs minus a dente angulari remotus. Descriptio bulbi genitalis *Dr. lutescentis* apud Cel. L. Kochium[2]) etiam bene quadrat in exempla nostra; bulbus hic modo, cum laminâ tarsali comparatus, minor et quam in figurâ 76 l. c. — Cephalothorax exemplorum nostrorum insigniter brevior est quam tibia cum patella IV. (ille 3·3 et 3·9, hae 3·8 et 4·6 longae), a L. Kochio vero cephalothorax longior quam partes hae dicitur; quod tamen certo lapsus est, quum feminae cephalothorax brevior quam tibia cum patella I., et pedes IV. longiores quam I., maris autem pedes cum corpore comparati longiores quam feminae describantur. (Marium nostrorum pedes IV, a margine cephalothoracis dimensi, 11·8 et 14·2, a basi femoris: 11·4 et 13·3 longi sunt). Pedum armaturâ mares Selvagenses differunt paullo a descriptione feminae in „Die Arachn.-Fam. d. Drass.“; femora I. in latere antico et tibiae anteriores subter aculeis modo singulis, neque 1.1, ornantur, metatarsi II. aculeis 2, tibiae III. postice 1.1 aut 1.1.1, tibiae IV. subter 1.2.2 aut 2.2.2. Feminae Dalmaticae hac in re conveniunt cum maribus nostris, eo excepto, quod tibiae I. subter aculeos 1.1 habent (tibiae II. modo 1). Teste Cel. E. Simonio tibiae et metatarsi pedum anteriorum subter aculeis singulis modo ornantur. Probabiliter itaque *Dr. lutescens* variat pedum armaturâ.

Dr. minusculus L. Koch var. **pictus** (Thor.). (Tab. VI, fig. 29).
Drassus pictus, Thorell 1875. Descr. of sever. Eur. a. N.-Afr. Spiders. p. 90.

Madera: femina; Porto Santo: mas et femina adulta.

Drassus pictus a Cel. T. Thorellio descriptus varietas *Drassodae minusculi* potius quam species propria mihi videtur, differt enim ab exem-

---

[1]) E. Simon, Les Arachnides de France, v. 4, p. 113.

[2]) L. Koch, Die Familie der Drassiden, p. 120, t. 5, f. 75,76.

plis *Dr. minusculi* Europaeis, quae vidi, modo picturâ abdominis melius expressâ, staturâ maiore, formâ paullulo alia „laminae sigmoideae“ bulbi genitalis. Cephalothorax feminae Maderianae 3·0, feminae in ins. Porto Santo captae 3·5, maris 3·1 mm. longus est (femina Maderiana vix maior est quam exempla Europaea maxima, quae vidi). Lamina sigmoidea bulbi (tab. VI, fig. 29) magis elongata quam in formâ typicâ, ita, ut dens in margine antico situs, primus, multo longius ab apice laminae quam a fundo sinus, in quem lamina in latere exteriore excisa est, distet (in formâ typicâ intervalla haec fere aequalia sunt); dens hic praeterea minus evolutus et paullo deflexus multo minus prominet quam in *Dr. minusculo* typico.

Scotophaeus E. Sim.

S. Blackwallii (Thor.) (?).

(?) *Drassus Blackwallii*, Thorell 1871. Remarks on synonyms, p. 179.

Feminae tres adultae unaque iuvenis, in insulâ Maderâ lectae, nullâ re differre videntur a *Scotophaeo Blackwallii* Europaeo nisi tibiis III. supra inermibus. Tibiae et metatarsi I. exemplorum Maderianorum inermia sunt, tibiae II. subter ad latus anticum prope medium et in apice aculeis 1.1, metatarsi II. subter prope basim modo 1 modo 2 aculeis armati in exemplis adultis, in femina iuveni vero metatarsus II. inermis est, tibia II. in apice solum aculeo 1 instructa; tibia IV. in omnibus supra inermis.

Sc. (?) cultior n. sp. (Tab. VI, fig. 30).

Madera: lectum est exemplum unicum non adultum.

Species ambigua, quam non nisi magnâ cum haesitatione generi *Scotophaeo* subiungo.

Cephalothorax exempli nostri, non adulti, omnino detriti, 2·0 mm. longus est, 1·45 latus, antice sat fortiter angustatus, leviter sinuatus, sub oculis seriei 2-dae 0·78 latus, oculorum areâ 0·58 latâ, fere in $^2/_3$ longitudinis sulco medio brevi instructus, humilis, dorso a declivitate posticâ, quae modice praerupta est, anteriora versus modice descendenti et fere recto. *Oculorum* series posterior desuper visa latitudine oculi lateralis modo longior quam anterior, levissime procurva, oculi medii rotundati, lateralibus parum minores, inter se et ab eis paullo minus quam diametro remoti; series anterior directo a fronte visa modice procurva, marginibus inferioribus oculorum lineam subrectam designantibus, oculi medii reliquis omnibus maiores (diametro ca. $^1/_6$ longiore quam diameter mediorum posticorum), inter se parum longius quam radio remoti, laterales oblongi obliqui, diametro maximâ diametrum mediorum aequanti, ab oculis mediis spatio parvo, a lateralibus posticis dimidiâ diametro ma-

ximâ remoti; a margine clypei distant oculi antici diametro minimâ oculorum lateralium. Area oculorum mediorum lateribus fere parallelis, circiter $^1/_4$ longior quam latior. *Mandibulae* 0·57 longae, paene directae, sub clypeo leviter geniculatae, apice modice oblique truncatae, angulo rotundato, armatae in margine apicali postice dente uno acuto, antice autem supra angulum denticulo uno parvo, in angulo et in margine apicali dentibus fortasse tribus parvis, in carinam inaequalem inter se confusis. *Maxillae* paullo pone medium late oblique impressae, fere parallelae (anteriora versus parum modo inter se appropinquantes), in latere exteriore a basi usque ad $^3/_8$ longitudinis sat fortiter dilatatae, ab hoc loco lateribus exterioribus paullulo inter se appropinquantibus et paullo excavatis, apice late et parum oblique truncatae (margine apicali foras et paullulo anteriora versus directo) angulis rotundatis, interiore fortius quam exteriore. *Labium* aeque longum ac latum, apicem versus modice angustatum, apice rotundato truncatum; pars maxillarum ultra labii apicem prominens longitudine $^3/_4$ labii aequat. *Sternum* 1·2 longum, 0·90 latum, inter coxas II. et III. (fere in medio) latissimum, posteriora versus fortius quam anteriora versus angustatum, postice acuminatum. *Palpi* abunde aculeati videntur. *Pedes* I. 4·7, II. 4·7, III. 4·4, IV. 5·9, pedum I. femur 1·23, patella 0·75, tibia 0·88, metatarsus 0·70, tarsus 0·59, pedum II. partes: 1·20, 0·75, 0·88, 0·71, 0·59, pedum III. 1·14, 0·65, 0·80, 0·80, 0·62, IV. 1·46, 0·76, 1·14, 1·30, 0·70 mm. longae. Aculeis pedes ita ornati fuisse videntur: femora omnia supra 1.1.1, praeterea apicem versus aculeis singulis femora I. et II. in latere antico, IV. in postico, III. in utroque; reliquae partes pedum anteriorum inermes; tibiae III. subter aculeis 1.2, in utroque latere 1.1, tibiae IV. subter 1.1.2, in latere utroque 1.1, metatarsi III. in latere utroque 1.1 et ad apicem subter et in lateribus 3, metatarsi IV. — praeter aculeos apicales 3 aut 4 — subter ad latus posticum 1.1, antice 1.1.1 aut 1.1, postice 1.1. Unguiculi pedum parum graciles, dentibus fortibus pectinati. *Abdomen* 2·9 longum (mamillis exclusis), 1·6 latum, ovatum postice latius, antice et postice late rotundato-truncatum, insigniter deplanatum. *Mamillae* infimae 0·44 longae, 0·21 latae, cylindratae, insigniter inter se remotae, supremae 0·29 longae, 0·13 latae.

Cephalothorax cum partibus oris palpis pedibusque dilute fulvoflavidus, subter pallidior quam supra; pars thoracica limbo marginali pedum femora latitudine paene aequanti, nigricanti, modice definito ornata; oculi cingulis nigris inaequalibus cincti, cinguli anticorum mediorum inter se confusi; pedes anteriores apicem versus colore rufo paullo suffusi; annulis nigricantibus pedes ornantur in tibiarum basi (latioribus) et in apice (angustioribus) et in apice metatarsorum, optime expressis

in pedibus posterioribus, pallidioribus in tibiis pedum anteriorum, obsoletis et angustis in metatarsis horum pedum; etiam apex patellarum in lateribus paullo infuscatus — fortius in pedibus anterioribus, parum in posticis. *Abdomen* (fig. 30) subter et in laterum parte inferiore umbrino-cinereum, in ventre vittis ornatum duabus umbrinis, scuta pulmonalia cum mamillis coniungentibus, posteriora versus inter se appropinquantibus, sat latis, intus modice, extrinsecus vero parum definitis; laterum pars superior et dorsum abdominis fuliginea, modice obscura, dorsum colore sordide flavido-cinereo pictum: color hic in dimidio anteriore maculam format totum marginem anticum occupantem, posteriora versus primo leviter et paullo inaequabiliter angustatam, tum fortius constrictam et denique in fasciam transversam, quae totam dorsi latitudinem occupat, dilatatam; $^2/_3$ posteriores maculae huius vittâ mediâ fuligineâ ornantur, fere pedum metatarsos latitudine aequanti, latitudine ubique aequali; posterius dimidium dorsi fasciis transversis tenuibus pictum est quinque, inter se approximatis, quarum antica totam fere latitudinem dorsi occupat, reliquis paullo crassior est, apices versus paullo incrassata, parum longior quam fascia secunda, ut haec in angulum latum fracta, in medio cum maculâ anticâ confusa; fascia secunda crassitudine ubique fere aequali; posteriores gradatim cito minores fiunt, postrema, quae ab apice abdominis insigniter distat, punctum modo parum manifestum format. Mamillae dilute flavescenti-cinereae.

Species haec fortasse similis est *Scotophaeo vario,* insularum Canariarum incolae [1]), cuius descriptionem non novi.

Echemus E. Sim.

E.? **modestus** n. sp. (Tab. VI, fig. 34, 35).

Madera: mas et femina adulta.

Mas.

Cephalothorax 1·9 mm. longus, 1·4 latus, antice fortiter angustatus, ad palporum basim 0·73 latus, fronte ca. 0·55, areâ oculorum 0·52 latâ, sat humilis, dorso a declivitate posticâ, quae sat praerupta est, anteriora versus primo leviter, tum paullo fortius descendenti, nitidus, granulis minutissimis, margines versus paullo maioribus et densius congestis, adspersus (in exemplo nostro unico omnino nudus, certo detritus). Sulcus ordinarius sat longus. *Oculorum* series posterior desuper visa latitudine oculi lateralis longior quam series anterior, insigniter procurva: marginibus posticis oculorum lateralium cum punctis mediis mediorum

[1]) E. Simon, Histoire natur. des Araignées, 2. edit., v. 1, p. 371.

lineam fere rectam designantibus; oculi medii, oblongi, leviter angulati, posteriora versus inter se appropinquant, inter se circiter $^1/_5$ diametri longioris, a lateralibus circiter diametro maiore distant; oculi laterales paullo angulati, mediis minores (diametro non longiore saltem quam mediorum diameter minor), a lateralibus anticis non longius quam $^1/_4$ diametri remoti. Series oculorum anterior fortiter procurva; oculi medii, convexi nigri rotundi, diametro circiter diametrum minorem oculorum mediorum posticorum aequant, inter se circiter radio (duplo fere longius quam medii postici inter se), a mediis posticis fere $^3/_4$ diametri, a clypei margine fere diametro distant; oculi laterales cum mediis contingunt, eis fere aequales (parum maiores) sunt, elliptici, diametro maximâ paullo longiore, diametro minimâ parum breviore quam diameter mediorum, a clypei margine fere diametro minore remoti. Area oculorum mediorum paullulum latior postice, circiter $^1/_5$ longior quam postice latior. *Mandibulae* 0·55 longae, directae, non geniculatae, sublaeves, parce pilosae, apice intus rotundato truncatae, armatae ad sulcum unguicularem antice dentibus parvis 4, postice granulis minutis 4 aut 5. *Maxillae* basi convexae, prope medium insigniter impressae in sulcum latum diffusum obliquum, in latere exteriore a basi usque ad $^1/_3$ longitudinis insigniter dilatatae, inde apicem versus modice inter se appropinquantes, latere exteriore paullulo excavato; margo apicalis maxillarum transversus, angulus apicalis exterior rotundatus; apice intus sat late oblique truncatae sunt maxillae. *Labium* aeque circiter longum ac latum, dimidiis maxillis parum longius. *Sternum* 1·1 longum, 0·8 latum, fere in medio latissimum, ovatum, postice acuminatum, modice nitidum, punctis maioribus dispersis et inter ea punctis minutis ornatum (omnino detritum). *Pulporum* pars femoralis supra prope medium aculeo 1 et prope apicem aculeis 4 (?) ornata fuisse videtur, pars patellaris fortasse uno ad apicem supra et uno in latere interiore prope medium, pars tibialis supra aculeis 1.1, in latere exteriore prope apicem 1, in latere interiore fortasse 1.2 armata, lamina tarsalis saltem in margine utroque (fere subter) pone medium aculeo forti (et supra fortasse 4 minoribus), eius rostrum subter prope bulbum in latere interiore aculeo 1 forti instructum. Pars patellaris 0·28 longa, 0·15 lata, tibialis 0·31 longa, basi 0·12, apice 0·18 lata, processu nullo evidentiori instructa, margine apicali inferiore modo paullo producto et deflexo, angulum brevem latum formanti, quum a latere exteriore adspicitur. Lamina tarsalis 0·5 longa, 0·22 lata, desuper visa fere symmetrica, rostro $^1/_4$ longitudinis saltem occupanti; bulbus genitalis (fig. 34) mediocris, oblongus, ovatus fere, basim versus latior, e lobis duobus admodum inaequalibus et e processibus 4 in apice sitis compositus; partem maximam bulbi lobus principalis format; lobus mi-

nor, parvus elongatus corneus, partem modo parvam internam anteriorem occupat, ab imo vix conspicitur; pars lobi principalis anterior inferior media fere (lateri interiori paullo propior) — ab eo antice diffissa, posterius sulco modo definita, in longitudinem directo, in dimidio basali bulbi vero intus curvato et evanescenti — processum unum format, parum prominentem, latum, complanatum, apicem versus angustatum, apice oblique rotundato-truncatum; supra processum hunc sive inter eum et alveolum, in apice bulbi, processus duo alii siti sunt: inferior corneus, lamellae instar brevis, latae, deorsum ita deflexae, ut a parte inferiore interiore adspecta uncum brevem deflexum imitet, — et processus superior membranaceus pellucidus oblongus, longius sub rostrum laminae productus; processus quartus in parte anticâ interiore situs, cum prioribus contingit, corneus est, anteriora versus et paullo intus directus, elongatus, compressus, a latere interiore elongato-triangularis videtur, ab imo vero linearis, apicem processus membranacei attingit. *Pedes* I. ca. 5·7, II. 5·3, III. 4·8, IV. 7·1, pedum I. femur 1·50, patella 0·80, tibia 1·16, metatarsus 0·95, tarsus 0·77, pedum II. partes 1·38, 0·69, 1·06, 0·95, 0·73, pedum III. 1·28, 0·66, 0·91, 1·02, 0·66, IV. 1·82, 0·84, 1·41, 1·79, 0·80 longae. Pedum femora supra aculeis 1.1.1, anteriora in latere antico apicem versus 1, III. in latere utroque et IV. in latere postico 1.1, IV. in latere antico 1, patellae inermes (?), tibiae anteriores subter prope basim et prope medium aculeatae: I. aculeis 2.2, II. 1.1, tibiae III. supra pone basim aculeo 1, antice 1.1.1, subter 1.2.2, postice 1.1, IV. supra 1.1, antice 1.1.1 aut 2.1.1, subter 1.2.2, postice 1.1.1.1, metatarsi anteriores subter ad basim 2, posteriores abunde aculeati, subter et in latere utroque et supra (hic tamen non in lineâ medianâ). Tarsi apice sat longe fasciculati (scopulae in exemplo nostro abrasae). *Abdomen* 2·2 longum (mamillis exclusis), 1·2 latum, paene ellipticum, antice rotundato-truncatum, paullo deplanatum, squamis angustis et pilis prope basim plumatis, deplanatis, immixtis, dense tectum. *Mamillae* infimae 0·45 longae, 0·16 latae, cylindratae, inter se late et multo magis remotae quam supremae, hae 0·23 longae, 0·11 latae.

Cephalothorax rufo-testaceus, sulco medio et marginibus obscurioribus, umbrinis, oculi antici medii nigri in maculâ nigrâ siti, reliqui albidi colore nigro cincti, cinguli oculorum posticorum mediorum antice latiusculi, ceterum angustissimi, cinguli oculorum lateralium inter se confusi. Mandibulae colore cephalothoracis, pedes et palpi parum pallidiores; sternum dilute testaceum, margine umbrino, maxillae sterno parum pallidiores, labium obscurius. *Abdomen* isabellinum, mamillae flavidae, pubes abdominis cinereo-albida.

Femina (probabiliter huius speciei).

Cephalothorax 2·1 longus, 1·53 latus, ad palporum insertionem ca. 0·75 latus, fronte 0·60, areâ oculorum 0·54 latâ, pilis — ni fallor — simplicibus longis adpressis dense vestitus. *Oculorum* series superior paullo plus quam latitudine oculi lateralis longior quam antica; oculi medii postici inter se ca. $^1/_3$ diametri longioris, a lateralibus posticis ca. $^3/_4$ eiusdem diametri remoti, laterales mediis non evidenter minores (paullulum breviores sed latiores), a lateralibus anticis parum longius quam $^1/_4$ diametri remoti; oculi antici medii diametro diametrum maiorem posticorum mediorum fere aequant, inter se paullulum longius quam radio, a mediis posticis non multo minus quam diametro suâ, a clypei margine diametro remoti; oculi antici laterales a mediis spatio parvo quidem sed evidenti distant, oculis his paullo minores videntur (diametro maiore diametrum mediorum aequanti). Area oculorum mediorum paullulo angustior postice, ca. $^1/_4$ longior quam postice latior. *Mandibulae* 0·6 longae. *Sternum* 1·25 longum, 0·88 latum. *Palporum* pars femoralis et patellaris ut in mare aculeatae videntur, pars tibialis supra et in latere exteriore ut in mare, in interiore aculeis 2.2 armata, pars tarsalis supra pone basim aculeo 1, in utroque latere 2 aut 2.1, subter prope apicem 2. *Femora* quatuor anteriora supra aculeis modo 1.1, antica in latere antico 1, II. in latere eodem 1.1, quatuor posteriora ut in mare aculeata; patellae inermes; tibiae I. subter ad latus anticum pone basim et pone medium aculeo 1, II. in latere eodem pone medium 1, III. supra pone basim 1, antice 1.1.1, postice 1.1, subter 1.1.2 aut 1.2.2, IV. supra 1 aut 1.1, antice 1.1.1, postice 1.1.1 aut 1.1, subter 1.2.2, metatarsi anteriores inermes, posteriores subter et in latere utroque et supra (sed non in lineâ medianâ) aculeati. Pedum anteriorum metatarsi et tarsi scopulati, etiam tibiae, anticae saltem, in latere antico scopulâ ornatae; pedes posteriores scopulis carent, tarsi modo in apice fasciculo pilorum dilatatorum ornantur. Pedes I. 5·65, II. 5·2, III. 4·5, IV. 6·7, pedum I. femur 1·45, patella 0·80, tibia 1·38, metatarsus 0·84, tarsus 0·73, pedum II. partes 1·38, 0·80, 0·95, 0·84, 0·73, pedum III. 1·24, 0·66, 0·84, 0·91, 0·62, IV. 1·68, 0·87, 1·31, 1·60, 0·80 longae. *Abdomen* 2·4 longum, 1·4 latum, ovatum postice latius, antice rotundato-truncatum. *Mamillae* infimae 0·44 longae, 0·23 latae, supremae 0·31 longae, 0·16 latae. *Epigyne* (fig. 35) (nonne perfecte evoluta?) parum dura, ad ipsum marginem posticum foveolis duabus ornata parvis, fere semilunaribus, in latere exteriore (incurvato) margine acuto definitis, nitidis, vadosis, inter se septo aeque saltem atque ipsae lato, plano, opaco, apice rotundato distinctis. — Ceterum in feminam quadrant, quae de mare diximus, mutatis mutandis.

Species haec generi *Echemo* subiungenda mihi videtur, quamquam seriem oculorum posticam insigniter longiorem habet quam anticam. — Non parum affinis est huic speciei „*Drassus montenegrinus*“ [1]), qui fortasse etiam *Echemo* adnumerandus est, etiamsi diagnosis *Echemi* a Cel. E. Simonio conscripta [2]) non bene in eum quadret.

Prosthesima L. Koch.

P. setifera E. Sim. (Tab. VI. fig. 20, 21).

Prosthesima setifera, E. Simon 1883. Études arachnologiques, 14 mém. (Ann. Soc. ent. France, 6 s., v. 3, p. 274, f. 7).

Pr. setifera, quam Cel. E. Simon secundum exemplum unicum in Azoribus captum descripsit, incolit etiam insulam Maderam et insulas Selvages dictas et probabiliter insulam Porto Santo (hic lectum est exemplum non adultum, quod huius speciei videtur).

Mares Maderiani variant non parum staturâ: eorum cephalothorax 2·8—3·6, tibia cum patellâ IV. 3·4—3·9, metatarsus I. 1·58—1·97, tarsus I. 1·24—1·53 longus est. *Oculi* medii postici horum exemplorum inter se non aut vix longius quam dimidiâ diametro suâ distare mihi videntur, antici medii certo non totâ diametro distant; clypeus sub oculis lateralibus vix altior est quam eorum diameter brevior. *Palporum* processus tibialis in exemplo minimo paullulum longior, in maximo aeque longus atque pars tibialis subter, a latere visus magnam partem aequali latitudine, apicem versus acuminatus, summo apice obtusiusculo, desuper adspectus latere exteriore paene omnino recto, apice in latere interiore attenuatus, itaque omnium levissime foras curvatus, apice cum laminâ tarsali non contingenti. Paries inferior bulbi genitalis (fig. 21) apice in parte interiore oblique truncatus et paullulum sigmoideus: apicem versus levissime sinuatus, in angulum paene rectum desinens; pars angulo huic in latere exteriore adiacens, ab eo rimâ obliquâ distincta, non longius producta, tuberculum format corneum nitidum. Apicem bulbi processus formant duo cornei et pars membranacea pallida, profunde sita, quae difficilius conspicitur. Processus corneus alter in parte interiore initium capit, basis eius valde lata dimidiam saltem latitudinem bulbi genitalis interiorem occupat; subito angustatus processus hic in spinam desinit gracilem complanatam, foras fere directam, paullulo recurvatam, marginem exteriorem laminae tarsalis attingentem, quum ab imo adspicitur. Margo processus huius non procul a basi in dentem acutum dilatatus est, qui non ita facile conspicitur. Alter pro-

---

[1]) Chyzer et Kulczyński, Araneae Hungariae, v. 2, p. 214, t. 8, f. 37.

[2]) E. Simon, Histoire naturelle des Araignées, ed. 2, v. 1, p. 370.

cessus in parte bulbi exteriore anticâ bulbi situs aculeum format nigrum fortem, sat gracilem, anteriora versus fere directum et paene rectum (leviter modo sinuatum), quum ab imo adspicitur.

Feminas *Prosthesimae setiferae* distinguere nescio a *Prosthesima* illâ, in Poloniâ lectâ, quam — certo non recte — ut feminam *Pr. longipedis* L. Koch protuli in op. „Araneae Hungariae" v. II, p. 197, t. VIII, f. 14 [1]). Pleraeque feminae Maderianae maiores quidem sunt quam Polonicae, variant tamen insigniter staturâ ita, ut exemplum Maderianum minimum paullo minus sit quam femina „*Pr. longipedis*" maxima, quam vidi (huius cephalothorax 2·8, illius 2·5 mm. longus est). Pallidius coloratae sunt feminae Maderianae, praesertim subter, quam „*Pr. longipes*" nostra; illarum color sterni variat inter latericium et castaneum (Saccardo „Chromotaxia" edit. 2-a), harum a nigro parum aut vix differt (fuligineum paullo sentit); venter illarum cinereo-umbrinus, umbrinus, fuligineus, harum niger fere; pedes illarum fuliginei colore rufo plus minusve suffusi, harum fuligineo-nigri; attamen exempla Maderiana reliquis obscuriora non differunt colore a feminis Polonicis pallidius coloratis. In epigynâ feminarum Maderianarum (fig. 20) „areola" postice nonnunquam paene aequabiliter rotundata est, vix sinuata, et margo elevatus, quo foveae ad angulos anticos epigynae sitae inter se coniunguntur, plerumque in angulum fractus est, cuius apex in carinam abit

---

[1]) Haec femina ad hoc tempus in Hungariâ inventa non est. — Femina cum mare *Pr. longipedis* in Angliâ meridionali capta, quam Cel. Fredr. O. P. Cambridge benigne mecum communicavit, nullâ re differre mihi videtur a feminis, quas — opus egregium Cel. L. Kochii „Die Familie der Drassiden" sequens — *Prosthesimae serotinae* subiunxi! Quum mihi ipsi nunquam contigerit mares *Pr. longipedis*, quae in Poloniâ rarissime occurrit, cum feminis deprehendere, non habeo quod dubitem, quin femina illa Anglica vera sit femina *Pr. longipedis*. Quod cum ita sit, exsistit quaestio, quae sit femina *Pr. serotinae* L. Koch! Cel. E. Simon *Pr. serotinam* ♀ a *Pr. longipede* colore paullo obscuriore, formâ epigynae paullo aliâ et imprimis tibiis II. subter aculeatis distinxit (Les Arachnides de France, v. IV, p. 45, 64—67). Valde dubium mihi videtur, an haec *Pr. serotina* ♀ E. Simonii eadem sit atque L. Kochii; color quidem similis videtur in utrâque (nota certo non magni momenti), sed tibia II. *Pr. serotinae* a L. Kochio inermis describitur et areola epigynae secundum figuram 123 l. c. antice omnino aperta est, ut in *Pr. longipede* E. Simonii. Facile crediderim, non *Pr. serotinam* ♀ E Simonii sed eius *Pr. longipedem* ♀ eandem esse atque *Pr. serotina* ♀ L Kochii! Ceterum addubitari potest, an femina a Cel. E. Simonio descripta vera sit *serotina*, quamquam enim mares *Pr. serotinae* sat multos et ipse variis locis legi et ab aliis collectos lustravi, femina, quae cum descriptione E. Simonii conveniat, nunquam mihi in manus venit. Parum probabile praeterea videtur, feminas *Pr. serotinae* et *Pr. longipedis* differre inter se tibiarum II. armaturâ, quum tibiae hae in maribus utriusque speciei inermes sint. — Confusionem hic quandam suspicor, cuius tollendae deest mihi facultas.

modice expressam, retro directam, in areolae parte anticâ evanescentem. *Prosthesimae „longipedis“* margo posticus areolae utrimque plus minusve fortiter sinuatus est, in medio in angulum fractus apice retro directum, formâ paullo variantem, plus minusve acutum; foveae anticae inter se margine coniunguntur acuto in arcum latum procurvum curvato, a carinâ medianâ, pone eum sitâ (non semper satis bene expressâ) optime distinctum. Attamen etiam hae differentiae non solum exiguae sunt sed etiam adeo parum sibi constantes, ut ad formas has distinguendas omnino non sufficiant. — Nihilominus „*Prosthesimam longipedem* ♀“ Polonicam *Prosthesimae setiferae* subiungere non audeo, quum mas *Pr. setiferae* ad hoc tempus nusquam in Europâ inventus videatur.

Feminae *Pr. setiferae* in Maderâ et in insulis „Selvages“ collectae clare demonstrant, notas nonnullas, quae ad distinguendas species Prosthesimarum adhibentur, non magni esse momenti: Pedes earum variant longitudine, ita, ut in exemplis magnis tibia cum patellâ IV. aeque longa sit atque cephalothorax, in parvis longitudine eum superet; metatarsi antici modo inermes sunt, modo subter aculeo 1 aut 2 ornantur; color denique non parum mutabilis est: exempla in insulis „Selvages“ lecta colore pallido excellent; quum exempla Maderiana, obscurius colorata, *Prosthesimis* „nigris“ fere adnumerari possunt, Selvagensium cephalothorax et abdomen supra umbrina sunt, ille colorem rufum, hoc cinereum sentit, venter colore medio fere inter avellaneum et isabellinum, pedes obscure fulvi.

Feminae *Pr. setiferae* non parum variant staturâ. Exemplorum nostrorum: maximi et minimi cephalothorax 3·8 et 2·48 longus, 2·95, 1·82 latus, pedes I. 9·8, 6·8, II. 8·7, 6·05, III. 8·3, 5·6, IV. 1·21, 8·3, abdomen 4·8, 2·8 longum, 3·4, 1·8 latum est. Partes pedum I. exempli maximi: femur 2·55, patella 1·53, tibia 1·75, metatarsus 1·60, tarsus 1·24, pedum II. 2·26, 1·38, 1·58, 1·53, 1·17, III. 2·04, 1·17, 1·28, 2·04, 1·24, IV. 2·92, 1·60, 2·19, 2·84, 1·46; exempli minimi: I. 1·60, 1·09, 1·20, 1·09, 0·95, II. 1·46, 0·95, 1·06, 1·02, 0·91, III. 1·39, 0·77, 0·87, 1·17, 0·91, IV. 1·82, 1·09, 1·48, 1·97, 1·17 longae. — *Cephalothorax* subopacus est, subtilissime et densissime, in parte cephalicâ indistincte reticulatus, pilis dispersis ornatus. *Oculorum* series posterior subrecta, oculi medii elliptici, fere transverse positi, inter se dimidiâ diametro maiore remoti, lateralibus, qui paullo maiores videntur, fortasse paullulo magis approximati. Series *oculorum* anterior fortiter procurva, oculi medii lateralibus minores, inter se minus quam diametro remoti, lateralibus valde approximati. Clypeus sub oculis lateralibus non evidenter altior quam eorum diameter minor. *Mandibulae* pilis dispersis longis inaequalibus instructae. *Tibiae* anteriores inermes, metatarsi I. — ut supra.

dixi — modo inermes, modo subter prope basim aculeo 1 aut 2 armati, metatarsi II. subter aculeis 2, raro 2.1 instructi; pedum anteriorum metatarsi maximam partem et tarsi scopulati; pedes posteriores scopulis carent; pili pedum sat longi quidem, sed minus quam in mare.

Pr. Lyonnetii (Aud. in Sav.)?

? *Drassus Lyonnetii*, Audouin in Savigny 1825—27. Descript. de l'Égypte, t. 5, t. 6. — *Drassus secretus*, Thorell 1875. Descr. of sever. Eur. a. N.-Afr. Spid., p. 92.

Ins. Porto Santo: femina; Madera: exemplum non adultum.

Pr. Schmitzii n. sp. (Tab. VI, fig. 32).

Ins. Madera: femina unica.

Cephalothorax 1·4 mm. longus, 1·1 latus, antice fortiter et paene aequabiliter (lateribus parum sinuatis) attenuatus, fronte ca. 0·45 latâ, nitidus, omnium subtilissime reticulatus, in angulis posticis pilis aliquot fortibus erectis ornatus, ceterum, ut videtur, parce pilosus. Area *oculorum* 0·28 lata; series posterior oculorum recta, desuper visa latitudine oculi lateralis saltem longior quam anterior; oculi medii lateralibus minores, inter se et ab eis spatiis subaequalibus, circiter $^2/_3$ diametri longioris aequantibus remoti; series anterior modice procurva, marginibus superioribus oculorum lineam leviter modo procurvam designantibus; oculi medii lateralibus minores, eis valde approximati, inter se insigniter minus quam diametro remoti; area oculorum mediorum postice latior quam antice et aeque fere lata atque longa. Oculi antici laterales a margine clypei ne breviore diametro suâ quidem remoti. *Mandibulae* 0·45 longae, nitidae, obsolete transverse plicatae, pilis longis inaequalibus instructae (armaturam sulci unguicularis extricare non possum). *Sternum* 0·85 longum, 0·60 latum, late ovatum, antice late truncatum, postice acuminatum, nitidum laeve, parce punctatum, pilis longis patentibus ornatum. *Maxillae* in latere exteriore sat fortiter dilatatae; apex anguli palpum gerentis basi maxillae parum propior quam apici; inter eum et apicem latus exterius maxillae fortiter sinuatum; *labium* fere $^1/_3$ longius quam latius, longitudine fere $^2/_3$ maxillarum aequans. *Pedum* aculei plerique difficilius conspiciuntur; femora supra aculeis longis setiformibus modo ornantur, singulis in pedibus anterioribus, 1.1 in posterioribus, ni fallor; praeterea femora posteriora sola aculeis brevioribus instructa sunt, binis in latere antico femoris III, singulis in eorum latere postico superiore et in latere utroque femoris IV. (?); patellae III. (et IV.?) in latere postico aculeo 1 ornatae, tibiae anteriores inermes, metatarsus I. subter pone basim aculeo 1 debili, II. subter pone basim 2, tibiae posteriores in latere utroque 1.1, subter 2.2.2, supra nullo, metatarsi posteriores aculeis abunde, sed nullo supra instructi; metatarsi et tarsi anteriores

soli, parce quidem scopulati; metatarsi posteriores subter in apice pectine ornati e pilis rigidis subaequalibus, dense confertis composito, in latere postico metatarsi III. aculeo finito. Pedes I. 3·75, II. 3·2, III. 2·8, IV. 4·4, pedum I. femur 0·95, patella 0·62, tibia 0·73, metatarsus 0·58, tarsus 0·44, pedum II. partes 0·84, 0·51, 0·58, 0·51, 0·40, pedum III. 0·73, 0·40, 0·48, 0·55, 0·40, IV. 1·09, 0·58, 0·84, 0·98, 0·51 longae. *Abdomen* 1·6 longum, 0·9 latum, pilis breviter et disperse plumosis dense tectum. *Mamillae* supremae infimis insigniter breviores et tenuiores. *Epigyne* (fig. 32) sat magna, 0·49 longa, 0·32 lata, dimidio longior quam latior, subrectangula angulis rotundatis, cornea nitida subplana, in parte anteriore foveâ ornata vadosâ, ca. 0·18 lata, antice modo et in lateribus margine optime expresso definitâ, postice omnino apertâ et sensim evanescenti; margo anticus foveae arcus duos format recurvatos, in angulum latum in medio coëuntibus, circiter in $^1/_5$ longitudinis epigynae situs est; in dimidio anteriore epigyne sulco ornatur acute impresso, qui areolam circumscribit 0·08 latam, sescuplo saltem longiorem, lateribus parallelis, postice rotundatam; qui sulcus in dimidium posterius epigynae perparum transgreditur, antice marginem foveae non attingit; pars posterior epigynae leviter convexa, in medio deplanata, ad marginem posticum pari foveolarum parvarum, modice expressarum, inter se parum remotarum ornata.

Cephalothorax nigro castaneus, in parte cephalicâ et margines versus obscurior, in occipite maculâ fuscâ ornatus, obsolete fusco reticulatus. Mandibulae cephalothorace paullo pallidiores; sternum fuligineum, colorem rufum paullo sentiens, marginibus nigricantibus; labium colore sterni fere, maxillae et pedum coxae sordide umbrinae; palpi rufescenti-umbrini, pedes nigro-fuliginei, patellis et tibiis basi obsolete pallidioribus, metatarsis et tarsis fulvis, illis colore nigro suffusis, femoribus anticis in lateribus paullo, ut videtur, pallidioribus quam supra et subter. *Abdomen* supra fuligineo nigrum, subter cinereo-fuligineum, mamillae nigro-fuligineae.

Species haec valde affinis est, etiam fabricâ epigynae, *Prosthesimae declinanti* Kulcz. [1]), sed non parum minor et formâ areolae epigynae optime distincta.

P. rustica L. Koch.

Prosthesima rustica, L. Koch 1872. Beitrag z. Kenntn. d. Arachnidenfauna Tirols, 2. Abh. (Zeitschr. d. Ferdinandeums) p. 309.

Mas et femina adulta lecta sunt in insulâ Maderâ.

---

[1]) Kulczyński in: Chyzer & Kulcz., Araneae Hungariae, v. 2, p. 205, t. 8, f. 3.

Zodariidae.

Zodarium Walck.

Z. maderianum n. sp.? (Tab. VI, fig. 19).

Ins. Madera: exempla duo adulta et pulli duo.

Femina.

Cephalothorax 1·5 mm. longus, 1·02 latus, antice modice angustatus, in $^1/_3$ longitudinis supra basim palporum sat fortiter sinuatus, inter hos sinus 0·72 latus, parte cephalicâ anteriora versus leviter angustatâ, antice omnino rotundatâ, postice late leviter emarginatus (non magis quam ex gr. in *Z. germanico* C. L. Koch), modice nitens, subtilissime, non admodum dense reticulato-striatus. In cephalothorace directo desuper adspecto *oculi* antici medii spatiis fere aequalibus a clypei margine et ab oculis mediis posticis distare videntur, verus margo clypei et mandibulae non conspiciuntur. Directo a fronte visa series oculorum anterior insigniter procurva: puncta media oculorum lateralium cum marginibus infimis mediorum lineam designant subrectam; oculi medii inter se paullo minus quam radio, a margine clypei paullo minus quam duplâ diametro distant; antici laterales duplo fortasse minores quam medii, elliptici, diametro maximâ paullulum minore quam diameter mediorum, ab oculis his non longius quam $^1/_6$ diametri maximi remoti. Series oculorum posterior fortiter quidem procurva, sed margines postici oculorum lateralium non parum pone margines anticos mediorum siti; oculi laterales paene elliptici lati, paullulo minores quam laterales antici, maiores quam postici medii, qui leviter angulati sunt; oculi postici medii a lateralibus et hi a lateralibus anticis spatiis subaequalibus, intervallum oculorum anticorum medii et lateralis fere aequantibus remoti; inter se oculi medii postici triplâ fere diametro distant, cum oculis anticis mediis aream occupant postice circiter diametro oculi (sive circiter quintâ parte) latiorem quam antice et aeque circiter longam atque latam antice. *Mandibulae* 0·57 longae. *Sternum* fere laeve, subtilissime solum et modice dense reticulatum, nitidum, punctis impressis adspersum. *Palporum* pars patellaris fortiter convexa, desuper visa duplo fere longior quam latior, 0·32 longa, pars tibialis 0·23 longa, ne sescuplo quidem longior quam latior, pars tarsalis (ungue excluso) 0·36 longa, duplo longior quam basi latior, conica, ungue forti, dense pectinato instructa. *Pedum* sex anteriorum saltem femora supra pone basim aculeo debili ornata. Pedum I. femur 1·20, patella 0·46, tibia 0·95, metatarsus 1·17, tarsus 0·84, pedum II. partes: 1·04, 0·45, 0·76, 1·07, 0·75, pedum III. 1·04, 0·49, 0·75, 1·12,....., femur IV. 1·46 longum. *Abdomen* 2·0 longum, 1·3 latum, formâ in *Zodariis* vulgari. *Epigyne* (fig. 19) sat fortiter

convexa: in transversum aequabiliter, in longitudinem vero inaequabiliter: postice sat fortiter praerupta; pars postica praerupta sulco transverso leviter recurvato, mediocriter expresso, in partes duas dividitur, superiorem (ventri vicinam) minus duram flavidam, ca. 0·20 latam, duplo saltem latiorem quam longiorem, et partem inferiorem, ut reliquus paries epigynae, corneam duram. Ad utrumque latus partis pallidae appendix adnata est epigynae cornea, parva, compressa, lamelliformis, retro et deorsum directa, apice oblique truncata et paullo sinuata (appendices hae formâ variant et probabiliter non partes propriae epigynae sunt sed „coitus signa"). Pars cornea epigynae lineis duabus ornatur paullulo elevatis, rugosis, parum expressis, ad latus utrumque partis membranaceae initium capientibus, in parte posticâ epigynae inter se appropinquantibus, in angulo inter partem eam et anteriorem ca. 0·15 (fere latitudine metatarsi III. medii) remotis, anterius paene parallelis, antice evanescentibus, marginem anticum epigynae non attingentibus.

Cephalothorax niger, pars thoracica colorem castaneum sentiens; mandibulae nigro-castaneae, apicem versus pallidiores; sternum antice obscure, postice pallidius castaneum, margine obscuriore; labium nigrum fere, maxillae obscure flavido-umbrinae, apicem versus obscuriores. Palporum pars femoralis nigro-fuliginea, reliquae flavo-testaceae, colore umbrino paullo suffusae, praesertim pars patellaris. Coxae pedum I. fuligineo-nigrae, basi subter umbrino-flavidae, reliquae rufescenti-flavidae, II. paullo infuscatae; femora 4 anteriora nigra, III. obscure, IV. pallidius castanea, haec subter basi flavida; reliquae pedum partes testaceo-flavae. *Abdomen* fuligineo-nigrum, venter obscure avellaneus, dense maculis obscurioribus parum expressis adspersus, in parte postremâ (sulco transverso et mamillis interiectâ) ornatus fasciâ transversâ obscure castaneâ, mediocriter latâ; laterum pars superior colore dorsi, inferior colore ventris, qui color pallidus maculam format maximam triangularem, similem atque in *Zodariis* plerisque, sursum et anteriora versus directam, procurvam, margine superiore leviter arcuato et parum inaequali, margine antico concavo. Mamillarum infimarum (quae in exemplo nostro valde contractae sunt) pars basalis connata umbrino-flavida, angulo castaneo ornata (?), partes apicales flavido-albae. Scuta pulmonalia dilute flavida. Epigyne (humefacta) fulva; lineae, quarum supra fecimus mentionem, etiam in epigynâ humefactâ conspiciuntur, badiae, mediocriter expressae, marginem eius anticum attingunt et incurvatae inter se coniunguntur; pars eis inclusa lateralibus pallidior, praesertim postice, ubi flavida est; pars epigynae postica lateralis utraque, aeque longa atque areola postica media, transversa, arcu antice definitur nigricanti, recurvato, modice expresso.

Exemplum alterum adultum, quod certo eiusdem est speciei, minus est: *cephalothorace* 1·24 longo, 0·81 lato, supra basim palporum 0·58 lato. Eius *oculi* antici medii parum plus quam $^1/_4$ diametri distant; oculorum anticorum lateralium diameter maxima ca. $^4/_5$ diametri anticorum mediorum aequat; margines postici oculorum posticorum lateralium cum marginibus anticis mediorum lineam modo leviter recurvatam designant; oculi postici medii lateralibus non minores, imo eis paullulo maiores, postici laterales a mediis et ab anticis lateralibus spatiis fere aequalibus et maioribus quam intervallum oculi antici medii et lateralis, postici medii inter se paullo minus quam triplâ diametro maximâ remoti; area oculorum mediorum $^1/_6$ (non totâ latitudine oculi) postice latior. *Pedum* I. femur 0·88, patella 0·36, tibia 0·68, metatarsus 0·84, tarsus 0·65, pedum II. partes: 0·75, 0·33, 0·55, 0·78, 0·58, III. 0·75, 0·33, 0·52, 0·83, 0·52, IV. 1·11, 0·42, 0·97, 1·25, 0·62 longae. *Abdomen* 1·8 long., 1·4 lat. *Epigyne* (paullo contusa) magis aequabiliter et minus fortiter convexa, lineis rugosis perparum expressis et postice paullo minus divaricantibus; sulcus transversus in parte posticâ situs perparum manifestus et pars supra eum sita colore ab inferiore parum distincta.

Non parum pallidius coloratum est hoc exemplum quam femina supra descripta. *Cephalothorax*, mandibulae, femora anteriora castanea, pars cephalica postice utrimque maculâ parvâ oblongâ, paullo obliquâ, pellucenti flavidâ ornata; sternum fulvum obscurius marginatum, labium umbrinum, maxillae totae sterno paullo pallidiores; pedum coxae dilute flavidae, paullulum rufescentes, anticae modo apicem versus in lateribus leviter infuscatae; palpi testaceo-flavidi, parte femorali paullo infuscatâ; pedum partes pleraeque dilute rufescenti-flavidae, femora III. fere tota, IV. apicem versus colore castaneo suffusa. *Abdominis* dorsum castaneum, supra mamillas maculis albidis ornatum tribus, quarum antica parum manifesta rotundata, secunda anguliformis, postrema reliquis maior oblonga; ventris pars postrema et mamillarum infimarum pars basalis reliquo ventre parum obscuriores.

Exemplum non adultum, ad colorem inter supra descripta medium fere, maculis pallidis in occipite caret, in dorso abdominis posterius maculis albidis tribus ornatur bene expressis: antica anguliformi, secundâ transversâ ellipticâ fere, postremâ quasi e maculis duabus, anteriore minore transversâ et posteriore oblongâ, compositâ; praeterea dorsum paullo pone medium maculâ pallidâ, parum expressâ pictum est.

Zodarium hoc fortasse, imo probabiliter, non nova est species; marem eius, eheu, non novi, feminae *Zodariorum* vero pleraeque simillimae sunt inter se, ad eas recte distinguendas differentiae in oculorum situ, in colore positae, leves et, ut e comparatione ambarum supra descripta-

rum feminarum elucet, paullo mutabiles, parum prosunt. Notae, quae ex epigynarum fabricâ peti possunt, tenues quidem esse solent in hoc genere; nihilominus dolendum eas ab auctoribus in descriptionibus plurimorum *Zodariorum* neglectas esse, quoniam ad melius definiendas huius generis species certo non parvi essent momenti.

Pholcidae.

Pholcus Walck.

Ph. phalangioides (Fuessl.).

Aranea phalangoides, Fuesslin 1775. Verzeichn.... Schweitzerisch. Inseckten, p. 61.

In ins. Madera et Porto Santo lecta sunt exempla sat multa adulta et iuniora, in ins. Selvages femina unica.

Spermophora Hentz.

S. senoculata (Dugès).

Pholcus senoculatus, Dugès 1836. Observ. s. l. Aran. (Ann. sc. natur., v. 6, p. 160).

Ins. Madera: feminae adultae duae et exempla non adulta tria.

In exempla haec pleraque non quadrat nota una e principalibus, quibus Cel. E. Simon *Spermophoram senoculatam* a *S. elevata* E. Sim. distinxit [1]): directo desuper adspecti oculi utriusque lateris spatium non angustius, sed aeque latum occupant atque spatium oculis interiectum. In exemplis *S. senoculatae* Croaticis et Gallicis, quae vidi, intervallum hoc saepissime paullo latius est quam oculi unius lateris (illud 0·58, hi 0·51 lati). Sed differentia haec et levis est et non constans: turmae oculorum desuper adspectae in feminâ Maderianâ adultâ unâ paullulo longius quam latitudine suâ, in exemplo Croatico quodam ipsâ latitudine suâ distant inter se. — Ad colorem et formam non differunt *Sp. senoculatae* Maderianae et Europaeae.

Theridiidae.

Theridium Walck.

Th. gibberosum n. sp. (Tab. VI, fig. 27, tab. VII, fig. 37—40).

Ins. Madera: lecta sunt pauca exempla feminina.

Species formâ abdominis et armaturâ coxarum IV. valde insignis.

Femina 4·8 mm. longa *Cephalothorax* 1·6 longus, 1·35 latus, laevis nitidus: impressiones cephalicae profundae et sat acutae, antice et postice insigniter abbreviatae; fovea media profunda diffusa rotundata (paullo oblonga), pars thoracica in lateribus impressionibus binis aut

[1]) Les Arachnides de France, v. I, p. 263.

ternis vadosis, parum definitis ornata. A latere visum dorsum cephalothoracis in parte posteriore altius et convexum, anteriora versus in universum leviter descendens et paullo inaequale: prope medium paullo impressum, pone oculos paullulum convexum. *Oculi* magni, medii lateralibus paullulo maiores; series posterior leviter procurva, oculi medii non totâ diametro remoti, lateralibus paullulo propiores; series anterior modice procurva, oculi medii inter se paullo longius quam radio, a lateralibus fortasse $^1/_6$ diametri distantes. Area oculorum mediorum fere quadrata; clypeus fere duplo altior quam haec area longa, sub oculis fortiter impressus, inferius paullo proiectus et fortiter convexus, supra marginem sulco tenui transverso sinuato ornatus. *Mandibulae* ca. $^2/_3$ longiores quam clypeus altus. *Labium* a sterno sulco optime discretum, dimidio saltem brevius quam maxillarum pars ultra suum apicem prominens. *Sternum* subtilissime reticulatum, parum nitens, modice convexum, 0·9 longum, 0·8 latum, fere triangulare margine antico et lateribus modice et paullo inaequabiliter rotundatis, marginem posticum coxarum IV, quum ab imo adspicitur, non attingens. *Pedum* IV. coxae (fig. 40) basi dente forti intus et deorsum et paullo retro directo, acuto ornatae; apices dentium horum inter se et ab apice tuberculi epigynae spatiis parvis distant. Pedes I. 10·3, II 6·9, III. 5·1, IV. 8·4, anticorum femur 3·14, patella 0·73, tibia 2·22, metatarsus 2·70, tarsus 0·95, pedum II. partes 2·11, 0·66, 1·27, 1·68, 0·73, pedum III. 1·64, 0·51, 0·84, 1·20, 0·66, IV. 2·77, 0·76, 1·60, 2·04, 0·80 longae. *Abdomen* in conum elevatum sursum et paullo (plus minusve) retro spectantem, apice obtusiusculum; a latere visum triangulare fere, inaequilaterum, ventre ca. $^2/_3$ breviore quam latus anticum (hoc ca. 3·9 mm. longum), hoc autem ca. $^1/_3$ breviore quam latus posticum (ca. 5·0 mm.), lateribus antico et postico sigmoideis (postico plerumque fortius quam anticum curvato), inferius convexis, supra brevius excavatis. Desuper adspectum abdomen modo parum longius quam latius (3·0 long., 2·9 lat.) et rotundatum aut antice leviter angustatum, modo ca. $^1/_4$ longius quam latius et fere ellipticum. *Mamillae* in apice abdominis infra sitae. *Epigyne* (fig. 27) tuberculo instructa corneo nigro, paullo transverso, basi 0·37 lato et 0·28 longo, apicem versus a fronte et a tergo compresso et in carinam mediocriter acutam desinenti, 0·18 alto; a latere tuberculum hoc triangulare videtur, latere antico leviter convexo, postico fere recto, a tergo visum late triangulare, basi utrimque paullo truncatum; paries posticus tuberculi leviter in transversum convexus, obsolete transverse rugosus, anticus vero prope mediam altitudinem foveolis duabus ornatus rotundatis, in sulcos latos, minus profundos, deorsum fere directos productis, inter se circiter latitudine suâ distantibus et septo obtuso distinctis.

Color insigniter mutabilis. *Cephalothorax* flavo-testaceus aut fulvus, colore umbrino aut fuligineo pictus: vittâ mediâ ornatus parum lata, inaequali, postice parum ultra foveam mediam productâ, aream oculorum non attingenti, antice plus minusve manifeste divisâ in lineas duas non procul ab oculis foras curvatas; in utroque latere lineae aut vittae angustae radiantes conspiciuntur duae, quarum anterior in impressione cephalicâ iacet et paullo crassior est, posterior vero supra coxam IV. initium capit versus foveam mediam directa, prope eam intus curvata cum vittâ mediâ coniungitur; inter has lineas latera cephalothoracis umbrino reticulata sunt et pro parte radiato lineata. In exemplis obscure coloratis pictura haec adeo dilatata et confusa invenitur, ut cephalothorax fuligineo-niger evadat, spatio oculos gerenti pallidiore, maculis ornatus fulvis tribus, quarum una spatium foveae medianae et margini postico interiectum occupat, reliquae duae ad foveam hanc initium capiunt, foras subito latiores fiunt et evanescunt; pars cephalica in exemplis talibus posterius utrimque maculâ oblongâ obliquâ pallidâ ornatur. *Mandibulae* rufescenti-flavidae, apicem versus paullo obscuriores, aut umbrinae et in dorsi latere utroque vittâ pictae longitudinali fuligineâ, apicem non attingenti. *Sternum* flavidum, paullo rufescens, concolor, aut pallide fulvum summo margine plus minusve infuscato, margines versus utrimque vittis fuligineis radiantibus quatuor, nonnunquam vix expressis pictum, aut denique latericium, margines versus et posteriora versus obscurius, picturâ evidentiori carens. *Labium* et *maxillae* plerumque evidenter obscuriora quam sternum, hae saepe vittâ mediâ longitudinali umbrinâ aut fuligineâ ornatae. *Palpi* et *pedes* rufo-flavidi aut flavido-fulvi; in exemplis dilute coloratis tibiae anteriores apice praesertim subter umbrino marginatae, metatarsi omnes apice anguste umbrino annulati, tibiae IV. annulo apicali lato rufo-fuligineo ornatae. In exemplo nostro reliquis obscurius colorato pedes colore fuligineo et nigro hunc in modum picti: femora basi et prope medium et in apice annulata, annulis basalibus sat angustis, apicalibus latis, mediis in pedibus I. in vittas longitudinales diffusis et cum annulo apicali plus minusve coniunctis, in pedibus IV. obsoletis; patellae apice, tibiae ante medium et in apice annulatae, hae summâ basi etiam fuligineae in pedibus anterioribus saltem, earum annuli basi propiores plus minusve interrupti et subter melius quam supra expressi; metatarsi apice et in pedibus posterioribus saltem ante medium annulati. Reliqua exempla picturam eandem, pro parte obsoletam aut deletam praebent. *Abdomen* (fig. 37—39) dilute isabellinum aut fulvum, picturâ ornatum e punctis flavido- aut pure albis et lineis albis et maculis badiis aut fuligineo-nigris constanti, aliquâ ex parte simili atque ex. gr. in *Theridio formoso* (Clerck).

Imprimis conspicuae et sibi constantes sunt lineae seu vittae angustae albae tres: in pariete dorsi postico linea apicem coni dorsualis cum mamillis coniungens, parum inaequalis, integra aut parum interrupta, et in utroque latere arcus procurvus, rarius integer, saepius in puncta — praesertim inferius — dissolutus; arcus hi in dorsi pariete antico initium capiunt a lineâ medianâ et ab apice coni paullo remoti, in universum deorsum directi sunt, circiter mediam altitudinem laterum attingunt, sed variant longitudine, infra sensim evanescunt. Latera abdominis in fronte arcuum alborum plus minusve punctis albis, nonnunquam in maculas parum definitas congestis, adspersa sunt, praesertim antice et infra, ad arcus vero ipsos, praesertim supra punctis albis carent et colore badio aut nigro repleta maculam formant obscuram, postice modo bene definitam, formâ et magnitudine paullo variantem Declivitas dorsi antica, abunde albo punctata, in exemplis obscuris etiam punctis nigris aliquot adspersa, lineâ dimidiatur obscurâ, ramulos aliquot foras fere directos emittenti, non semper sat distinctâ; area haec pallida in universum ovata est, antice latior et male definita, postice acuminata apicem coni attingit; ad eam utrimque in mediâ fere longitudine initium saepe conspicitur arcus albi, arcui supra descripto parallelum, breve, in latera abdominis non aut parum descendens. Ipse apex coni dorsualis saepissime, latera eius vero prope apicem fortasse constanter obscure colorata sunt. Paries posticus abdominis, saepissime abunde albo punctatus et vittis badiis aut nigris ornatus, picturâ variat insigniter; plerumque lineae obscurae aut vittae latiusculae, inaequales, saepe interruptae, in angulum acutum coëunt prope mediam altitudinem parietis huius aut supra eam, et lineam albam medianam saepissime hic interrumpunt; deorsum vittae hae, mamillas versus directae, modo eas attingunt leviter incurvatae et paullo dilatatae, modo non attingunt: ad mamillas tum vittae aliae obscurae initium capiunt inaequales, sursum directae, leviter recurvatae, basi abdominis propiores, sursum plus minusve longe productae; area hunc in modum circumscripta, anguste ovata vel late lanceolata, colore obscuro plus minusve contaminatur praesertim ad lineam medianam; qui color obscurus plerumque in vittas digestus invenitur transversas aut late anguliformes, unam aut quatuor. Venter isabellinus aut magnam partem fuligineus, maculis tribus albis e punctis conflatis ornatus: medianâ ad marginem epigastrii et unâ in utroque laterte prope medium; pone has maculas plerumque vestigium lineae transversae albae interruptae conspicitur et pone eam in parte anticâ laterali mamillarum par macularum e punctis albis compositarum, minus distinctarum et latius inter se distantium quam maculae ventrales.

Th. rupicola Emerton? (Tab. VII, fig. 36).

? *Theridium rupicola*, Emerton 1882. New England Spiders of the family Theridiidae. (Transact. Connecticut Acad., v. 6, p 14, t. 2, f. 2).

Theridio rupicolae Em., mihi ignoto, *Theridium* quoddam in insulâ Maderâ captum subiungo, non sine dubitatione, quoniam exemplum nostrum unicum non adultum est. Quum descriptio *Th. rupicolae* l. c. paullo arta sit, exemplum Maderianum describendum censeo.

Maris non adulti *cephalothorax* 1·2 mm. longus, 1·0 latus, laevis nitidus; oculi omnes subaequales (medii antici reliquis parum maiores), series posterior paullulum procurva, eius oculi medii paullo oblongi, inter se diametro minore remoti, lateralibus paullulo propiores; series anterior leviter procurva, oculi medii inter se paullo minus quam diametro, a lateralibus minus quam radio remoti; area oculorum mediorum fere quadrata, vix latior postice et vix longior quam latior, aeque circiter longa atque clypeus sub eâ altus. *Mandibulae* clypeo fere duplo longiores. *Labium* a sterno sulco optime distinctum; *sternum* subtilissime reticulatum, parum nitens, inter coxas posticas productum et sursum flexum, hic circiter dimidias coxas has latitudine aequat. *Pedes* I. 6·4, II. 4·35, III. 3·05, IV. 4·8, anticorum femur 1·85, patella 0·55, tibia 1·24, metatarsus 1·66, tarsus 0·84, pedum II. partes: 1·24, 0·45, 0·75, 1·02, 0·65, pedum III. 0·91, 0·36, 0·49, 0·72, 0·49, IV. 1·46, 0·49, 0·83, 1·10, 0·66 longae. *Abdomen* 2·3 altum; desuper visum 2·1 longum, 2·0 latum, rotundum fere, antice paullulo truncatum; dorsum tuberculo lato humili ornatum, circiter duplo longius a mamillis quam a margine antico remoto; a latere visum abdomen ovatum fere, axi retro et deorsum directâ 2·7 longâ (mamillis inclusis), apice (mamillis) acuminatum, 1·9 crassum.

Cephalothorax obscure umbrinus picturâ evidentiori caret; mandibulae obscure fulvae, dorso in latere interiore vittâ fuligineâ angustâ paullo inaequali, ca. $^2/_3$ longitudinis occupanti, ornato, latere exteriore paullo pone medium vittâ fuligineâ picto; maxillae fulvae, labium paullo obscurius; sternum fulvo-umbrinum, fuligineo sat late marginatum. *Palpi* et *pedes* flavo-testacei; illorum pars tarsalis supra prope basim maculâ fuligineâ picta; hi vittis et annulis obscuris ornati, plerisque umbrinis, in apice tibiarum et metatarsorum IV. vero fuligineo-nigris: femora antica subter vittâ longâ, supra prope medium vittâ brevi parum expressâ, prope apicem annulo sat lato, reliqua femora ad apicem annulo incompleto aut maculâ subter sitâ picta, praeterea II. prope medium subter vittâ modice longâ et antice maculâ diffusâ parum expressâ, femora III. in dimidio basali annulo supra late interrupto ornata; patellae praesertim posteriores apicem versus infuscatae aut maculatae; tibiae et meta-

tarsi in dimidio basali et in apice annulata, annulis in tibiarum posteriorum parte basali obsoletis aut nullis. *Abdomen* (fig. 36) obscure umbrinum et fuligineum, dense umbrino-albo punctatum et maculis parvis flavido-albis ornatum. Partes dorsi punctis pallidis non contaminatae inter marginem anticum et tuberculum dorsuale vittam formant antice latam et utrimque vittâ longitudinali e punctis conflatâ limitatam, prope medium fortiter constrictam pari macularum albarum oblongarum, quarum utraque cum vittulâ aliâ angustiore retro et foras directâ coniungitur et angulum format apice anteriora versus et intus directum; posterius vitta media lata quidem sed male definita est. Tuberculi dorsualis apex et pars postica maculis paucis albis confertis occupatur. Dorsi declivitas postica, quae utrimque inferius saltem spatio parum aut non maculato definitur (male quidem), aream format elongato ovalem, in lateribus inferius uberius albo punctatam, ad mamillas pari punctorum alborum maiusculorum ornatam, paullo supra medium lineâ albidâ in angulum latum refractâ, e punctis albis compositâ, parum expressâ persectam. Laterum abdominis pars anterior, parum aut non contaminata, supra et postice superius arcu definitur deorsum curvato, e punctis albidis densius congestis constanti, parum expresso. Macula obscura dorsualis antica in parietem anticum abdominis descendit, ubi angustior fit et minus definita. Area mamillarum, quae umbrinae sunt, punctis albidis modice expressis, fere in circulum dispositis circumdata. Ad latus exterius scuti pulmonalis utriusque macula albida inaequalis interrupta. Venter obscure umbrinus, posterius arcu albido inaequali interrupto procurvo cinctus.

Th. denticulatum (Walck.).

Aranea denticulata, Walckenaer 1802. Faune Parisienne, v. 2, p. 208.

Feminae adultae duae lectae sunt in insulâ Maderâ, una vero in insulâ Porto Santo.

Th. Barreti n. sp. (Tab. VI, fig. 26).

Ins. Madera: feminae duae.

Femina 2·4 longa. *Cephalothorax* 1·1 mm. longus, 0·8 latus, modice nitens, subtilissime reticulatus; dorsum partis cephalicae rectum et sublibratum; impressiones cephalicae sat profundae, fovea media transversa, ca. 0·2 longa, profunda sed modice definita, cum eius apice utroque sulcus profundus diffusus coniungitur, coxas IV. versus directus, sed eas non attingens; pars thoracica praeterea impressionibus radiantibus utrimque binis ornata, modice expressis, brevibus. *Oculi* parvi subaequales; series posterior leviter procurva, oculi medii paullo oblongi, inter se duplâ suâ diametro minore aut paullulo longius remoti, a lateralibus spatio

paullo aut vix minore distantes; series anterior subrecta (parum sursum curvata), oculi spatiis subaequalibus aut medii inter se paullulo longius quam a lateralibus remoti, intervallis $^4/_3$ aut $^5/_3$ diametri mediorum aequantibus. Area oculorum mediorum postice paullulo latior quam antice (12:11) et aeque longa atque antice lata; clypeus altitudine aream hanc paullo superat (13:11), sub oculis sat fortiter impressus est. *Mandibulae* clypeo ca. $^1/_2$ longiores, duplo fere angustiores quam longiores, aeque fere crassae atque femora I. *Labium* a sterno sat bene distinctum, plus duplo latius quam longius, duplo fere brevius quam maxillarum pars ultra suum apicem prominens. *Sternum* sublaeve, modice nitens, leviter convexum, 0·73 longum, 0·54 latum, antice utrimque paullo oblique truncatum et paullulum emarginatum, fere a margine suo antico usque ad marginem posticum coxarum IV. paene aequabiliter et modice solum rotundato angustatum; coxae IV. ca. latitudine suâ inter se remotae. *Pedes* longi tenues, I. femur 2·11, patella 0·47, tibia 1·56, metatarsus 1·62, tarsus 0·52, pedum II. partes 1·53, 0·45, 0·98, 1·14, 0·49, pedum III.: 0·98, 0·33, 0·52, 0·68, 0·36, IV.: 1·40, 0·39, 1·17, 0·98, 0·42 longae. *Abdomen* 1·4 longum, circiter $^1/_5$ longius quam latius aut aeque latum ac longum, ovatum antice latius, aut fere rotundum, $^1/_{10}$ aut $^1/_6$ humilius quam latius; mamillae subter in apice abdominis sitae. *Epigyne* (fig. 26), cuius fabrica vix extricari potest, ad marginem posticum foveolâ ornatur ca. 0·05 latâ, sat profundâ, postice et in lateribus margine acuto fere semicirculari definitâ; spatium in fronte foveae situm impressum videtur, fovea itaque antice aperta; in angulis foveae anticis initium capere videntur ductus, qui aditum ad spermathecas praebent, anteriora versus et paullo foras directi; in epigynâ humefactâ ductus hi et spermathecae, rotundatae, inter se multo minus quam diametro, a margine postico epigynae circiter diametro suâ remotae, plus minusve translucentes conspiciuntur.

Totum animalculum cinerascenti et rufescenti flavidum, oculi medii et macula minuta oculis lateralibus supra interiecta nigra; pars thoracica colore fulvo suffusa paullo obscurior quam cephalica, haec postice maculâ parvâ oblongâ aut rotundatâ umbrinâ ornata; nonnunquam pars thoracica ad marginem posticum lineâ crassiusculâ brevi umbrinâ picta.

Th. palustre Pav. (?). (Tab. VI, fig. 28; tab. VII, fig. 46, 48—52).

(?) *Theridium palustre*, Pavesi 1880 Studi sugli Aracnidi Africani. I. Aracnidi di Tunisia, p. 52. — *Theridion dromedarius*, E. Simon 1880. Bullet. Soc. entom. France, Nr. 15, p. 133.

Ins. Madera: sat frequens videtur.

Valde variat haec species *colore*. *Cephalothorax* dilute flavidus, rufo-flavidus, aut obscure fulvus, marginibus lateralibus modo concoloribus, modo nigris angustis aut latiusculis, vittis plerumque duabus ornatus fuligineis, modice aut parum definitis, postice inter se coniunctis et modo marginem posticum attingentibus, modo paullo abbreviatis, versus oculos posticos laterales directis, eos nonnunquam fere attingentibus, saepius insigniter abbreviatis; inter quas vittas cephalothorax plerumque obscurius coloratus est quam in parte thoracicâ, testaceus... rufo-umbrinus; non raro pars cephalica paullo modo magis quam thoracica colorem rufum sentit et postice umbrâ valde obsoletâ, V-formi ornatur, ceterum picturâ evidentiori caret; raro pars thoracica in utroque latere anterius radiis duobus umbrinis brevibus, parum expressis ornatur. Clypei pars inferior saepe infuscata aut colore umbrino obsolete maculata. *Mandibulae* colore partis thoracicae, dorso modo supra modo secundum totam fere longitudinem vittâ umbrinâ aut fuligineâ diffusâ ornato. *Sternum* dilute flavidum concolor aut dilute fulvum sat late fuligineo marginatum; *maxillae* colore sterni, *labium* plus minusve infuscatum, praesertim basi. *Palpi* et *pedes* plerumque dilute flavidi, saepe colore rufo suffusi praesertim apicem versus, annulis obscuris carent. In uno exemplo palporum pars patellaris supra prope apicem puncto nigricanti diffuso ornata, pars tibialis apice subter nigro marginata; pedum 4 anteriorum femora in latere inferiore postico puncto nigricanti ornata prope medium et apicem versus, apices patellarum tibiarum metatarsorum ex parte anguste nigri, tibiae et metatarsi subter prope medium maculis nigricantibus (in pedibus II. valde obsoletis) ornata, in pedibus III. margo apicalis patellarum tibiarum metatarsorum ex parte niger, pedum IV. color similis, sed tibiae apice annulo sat lato fuligineo diffuso incompleto ornatae. Alius exempli femora I. apicem versus late diffuse colore fuligineo tincta, femora IV. postice prope apicem fuligineo obsolete maculata, patellae tibiae metatarsi apice ex parte obscure marginata, tibia I. subter in dimidio basali vittâ longa, metatarsus I. loco respondenti vittâ brevi fuligineâ ornatus, apex tibiae I. sat late infuscatus, tibia II. subter prope medium maculâ umbrinâ picta, tibiarum IV. dimidium apicale et metatarsorum IV. annulus apicalis non latus fuliginea. Exempli nostri, quod reliquis obscurius coloratum est, femora I. in lateribus et subter maiore ex parte fuliginea (modo basi late, apice anguste flavida), supra lineâ fuligineâ ornata, femorum II. pictura similis, minus lata, femora posteriora apicem versus in lateribus et subter fuliginea, patellae I. apice fuligineo-marginatae, in latere postico puncto fuligineo ornatae, patellae II. similes, picturâ minus distinctâ, patellae III. apice antice non late, IV. eodem loco late, subter anguste fuligineae aut nigrae, ti-

biae I. subter et in lateribus totae fere obscurius et pallidius fuligineae, II. utrimque vittâ fuligineâ, prope medium et in apice dilatatâ, ornatae, reliquae partes ut in priore pictae. *Abdomen* (fig. 48—52) album, plus minusve avellaneo reticulatum praesertim subter, ceterum picturâ valde varians. Mamillae in maculâ sitae isabellinâ punctis albis carenti, stellatâ, in ventrem paullo productâ et hic transverse inaequabiliter truncatâ. Rarissime dorsum abdominis totum, incluso pariete antico, una cum laterum parte anteriore superiore fuligineo-nigrum est, obsolete umbrino punctatum, in pariete antico punctis paucis albis adspersum; supra mamillas puncta pallida densius congesta vittam formant oblongam latam diffusam; area nigra quae mamillas attingit, cito angustata, margines habet posterius valde inaequales, parum definitos. Saepius abdomen „folio" ornatur in partes duas divulso, quarum altera parietem anticum abdominis occupat, altera triangulum, quod tuberibus humeralibus et mamillis designatur, maiore aut minore ex parte replet; quod folium pallidius aut obscurius umbrinum aut nigro-fuligineum, punctis et maculis flavicanti-albis contaminatur aut interrumpitur. Pars folii anterior late triangularis, margine postico modo recto, modo concavo, saepe postice in medio excisa, aut vittâ albidâ latiusculâ omnino dimidiata; pars posterior triangularis, marginibus lateralibus in universum paullo concavis, insigniter inaequalibus, plerumque crenatis (lobis utrimque 5 aut 6, posticis indistinctis), nonnunquam in dentes irregulares excisis; pars haec postice saepissime usque ad mamillas pertinet, apices tuberum humeralium plerumque non attingit et a parte anteriore vittâ transversâ albidâ sat latâ, modo fere aequali modo valde inaequali disiungitur; nonnunquam pars posterior folii fasciâ transversâ latâ albidâ, inter crenas anticas sitâ, in maculas duas dividitur, quae modo in medio petiolo angusto connectuntur. Saepius pars folii postica paene aut omnino evanescit, dorsum tum maculâ ornatur transversâ trapezicâ, utrimque bilobâ, postice modo truncatâ, modo profunde incisâ. Occurrunt exempla, quamquam raro, quorum partes folii anterior et posterior vittis coniunguntur umbrinis longitudinalibus, inter se paullo latius quam ab apicibus tuberum humeralium distantibus. In exemplis pallide coloratis partes folii ambae plus minusve — nonnunquam omnino — evanescunt. Commemoratione digna femina quaedam videtur, folio omnino deleto et dorso nullâ picturâ evidentiori nisi vittis duabus umbrinis parallelis oblongis, inter tubera humeralia ornato. In exemplis obscure coloratis latera abdominis in parte anteriore arcu obscuro deorsum curvato, subter aperto, lato diffuso ornantur ut in *Theridiis* non paucis aliis.

Mas ad colorem minus variare videtur quam femina. Eius clypeus sub oculis nonnunquam totus inaequabiliter colore fusco pictus. *Abdo-*

minis folium isabellinum, umbrinum aut fuligineum, plus minusve albo punctatum et maculatum, nonnunquam parum expressum praesertim in parte anteriore, quae interdum omnino evanescit. Exemplum, cuius folium obscure coloratum simulque, ut in feminis non paucis, in partes duas plane et late sit divulsum, non vidi. Plerumque puncta alba densius congesta et confusa maculam formant oblongam, ex parte in pariete antico supra, ex parte in dorso proprio sitam; in apice tuberis humeralis utriusque linea saepissime initium capit alba transversa, intus directa; lineae hae plerumque maculam mediam non attingunt, rarius cum eâ coniunguntur; non raro pars folii pone has lineas sita reliquis pallidior est et uberius albo maculata. Venter plerumque ut in feminâ pictus; epigastrium et pars ventris parva ei vicina isabellina aut cinereo-fuliginea; fascia albida lata, quâ partes ventris obscuriores inter se distinguuntur, nonnunquam secundum medium obscurior quam in lateribus aut in medio late interrupta, venter tum umbrinus pari macularum oblongarum maiuscularum albidarum ornatur.

Ad *staturam* parum variat haec species. Feminae cephalothorax 0·8 longus, abdomen 1·3 longum, 1·45 latum, pedes I. 3·3, II. 2·6, III. 1·9, IV. 2·7, pedum I. femur 1·01, patella 0·36, tibia 0·70, metatarsus 0·75, tarsus 0·33, pedum II. partes 0·73, 0·31, 0·47, 0·54, 0·29, pedum III. 0·58, 0·26, 0·31, 0·39, 0·26, IV. 0·85, 0·36, 0·49, 0·57, 0·33 longae. Maris cephalothorax 0·8 longus, abdomen 1·0 long., 0·95 lat., pedes I. 3·5, II. 2·5, III. 1·9, IV. 2·5, pedum I. partes 1·07, 0·36, 0·81, 0·81, 0·36, pedum II. 0·78, 0·29, 0·52, 0·57, 0·32, III. 0·55, 0·26, 0·33, 0·39, 0·29, IV. 0·75, 0·29, 0·49, 0·55, 0·33 longae.

Epigyne (fig. 46) in transversum modice convexa, in longitudinem sublibrata; margo posticus corneus modice procurvus; prope ab eo epigyne foveâ ornatur profundâ, optime definitâ, ca. 0·1 latâ, transversâ: ca. 5-es latiore quam longiore, modice procurvâ, apicibus rotundatis, a margine postico circiter longitudine suâ distanti; pars epigynae in fronte foveae sita late leviter impressa. In epigynâ humefactâ, pallide coloratâ, margines foveae obscuriores non difficile conspiciuntur; prope medium epigyne ornatur maculis translucentibus duabus rotundis rufo-umbrinis, subcontingentibus, a foveâ paullo remotis, coniunctim spatium aeque circiter atque fovea latum occupantibus; in earum parte externâ anteriore macula conspicitur translucens interrupta diffusa, sat magna, umbrina et nigra, foras et paullo anteriora versus directa.

Maris *palpi* (fig. 28) breves; pars femoralis formâ vulgari, 0·32 longa, patellaris 0·13 longa, ca. sescuplo longior quam latior, pars tibialis basi angustior, in latere superiore interiore aeque circiter longa atque $^1/_3$ partis patellaris, in latere exteriore, ubi in squamam producta

est, non multo brevior quam pars patellaris; lamina tarsalis 0·34 longa, 0·23 lata, ovata paullo asymmetrica, apice paullo sinuato acuminata, rostro ca. $^1/_5$ longitudinis occupanti. Bulbus genitalis crassus; embolus longus niger, initium capit in massulâ prope apicem bulbi, lateri superiori sive exteriori propius sitâ, basi sursum et retro directus, retro, deorsum sive intus, anteriora versus, denique paullo sursum curvatus, bulbo adpressus, marginem alveoli superiorem fere attingit, a basi bulbi spatio lato distat, in bulbi parte apicali inferiore (interiore) in hamulum parum curvatum desinit. „Conductorem emboli" lamella pellucida formare videtur, oblonga, paullo contorta et excavata, sursum anteriora versus et foras directa. Pars bulbi quaedam cornea obscura, inter apicem emboli et marginem alveoli inferiorem sitâ, a parte inferiore interiore adspecta unci formam habet crassi, sursum curvati.

Cel. E. Simon nuper nomen speciei huius in: *Theridium tuberculatum* Croneb. mutavit, quod manifeste lapsus est, *Theridii tuberculati* abdomen in feminâ enim teste Kronebergio [1]) altissimum est, summo apice in tuberculum parvum elevatum. — Alterum synonymum a Cel. E. Simonio prolatum, *Theridium palustre* Pav., aliquantulum dubium mihi videtur, Cel. P. Pavesi enim embolum *Th. palustris* bis in spiram curvatum describit [2]).

Th. aulicum C. L. Koch. (Tab. VII, fig. 53).

Theridium aulicum C. L. Koch 1838. Die Arachniden, v. 4, p. 115, f 323. — *Theridion elegans*, Blackwall 1862. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 4, p. 376).

Vulgare videtur in insulâ Maderâ; pauca exempla lecta sunt etiam in ins. Porto Santo.

Epigyne (fig. 53) huius speciei, rugosa pilosa, leviter convexa, ad marginem posticum foveâ ornatur transversâ: 6 aut 9-es latiore quam longiore, apicem utrumque versus paullo angustatâ et paullulum procurvâ, postice margine omnino angusto membranaceo limitatâ; fovea haec tota membranâ repletur nitidâ glabrâ molli.

Th. rufipes H. Luc. (Tab. VI, fig. 33).

Theridion rufipes H. Lucas 1849. Explorat. scientif. de l'Algérie. Zoolog. III. p. 263, t. 16, f. 5. — (?) *Theridion luteolum*, Blackwall 1859. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Natur. Hist., 3 s., v. 4, p. 259).

Ins. Madera: exempla adulta et iuniora; Porto Santo: mas.

Epigyne Th. rufipedis in tuber elevata est corneum, conicum obtusum, basi aeque circiter atque mamilla infima latum, ab epigastrii margine fere dimidiâ latitudine suâ remotum. Prope apicem in utroque latere tuber hoc foveolâ minutâ ornatur; foveolae hae tamen non semper

[1]) Fedczenko, Puteszestwie w Turkestan. Pauki 1875. p. 9.

[2]) P. Pavesi, Studi sugli Aracnidi Africani I. Aracnidi di Tunisia. 1880. p. 52.

conspici possunt, quoniam tuber saepe superfusum est materiâ quadam durâ, quae formam eius varium in modum mutat.

Palpi maris (fig. 33) parte patellari supra valde et paullo inaequaliter convexâ, parum longiore quam latiore, subter vero adeo brevi, ut hic pars tibialis, retro producta, cum apice partis femoralis fere contingat. Pars tibialis e corpore constat multo angustiore quam pars patellaris, subter aeque circiter longo ac lato, supra vero brevissimo, et e squamâ apicali externâ, parti tarsali adpressâ, anteriora versus et sursum directâ, supra et antice limbo (qui difficilius conspicitur) parum lato, omnino compresso auctâ. Pars tarsalis aeque paene longa ac femoralis; lamina tarsalis paullulo plus quam sescuplo longior quam latior, basi angusta et asymmetrica, cum apice partis patellaris fere contingens, apicem versus modice angustata, apice sat late truncata. Bulbus genitalis in parte apicali, maiore, valde inaequalis; partem eius interiorem mediam fere massula format sat dura, in transversum aequabiliter convexa, antice et postice transverse truncata, intus paullo oblique truncata et emarginata, quae ad marginem laminae tarsalis interiorem sive inferiorem processum emittit anteriora versus directum, sat longum, gracilem, antice paullulo ultra apicem laminae tarsalis productum, apicem versus sensim pallidiorem, subtus paullo pone basim dente deorsum et anteriora versus directo ornatum; pars bulbi inter processum hunc et marginem exteriorem sita, apice omnino complanata membraniformis, oblique truncata, ultra laminam tarsalem paullulum prominens antice et in latere exteriore, ubi in paginâ exteriore scobinae instar scabra et in margine crenata est; parti huic in medio fere uncus corneus innatus est fortis, transverse fere positus, compressus, foras directus, deorsum curvatus.

Lathrodectus Walck.

L. tredecimguttatus (Rossi).

Aranea 13-guttata, Rossi 1790. Fauna Etrusca, v. 2, p. 136.

Madera, Porto Santo. — Exempla feminina adulta pleraque „*varietatis lugubris* L. Duf.“ sunt; iuniora vero, pulli, mas adultus unicus in ins. Porto Santo captus, femina una nuper adulta picturam formae typicae praebent. — Feminae variant paullo staturâ, exemplum nostrum maximum 12 mm. longum est, cephalothorace 4 mm., tibiâ cum patellâ I. 7 mm. longâ, minimum 8 mm. longum, cephalothorace 3, tibiâ cum patellâ I. 5·3 mm. longâ.

Teutana E. Sim.

T. grossa (C. L. Koch).

Theridium grossum, C. L. Koch 1838. Die Arachniden, v. 4, p. 113, f. 321.

Madera: multa exempla adulta et iuniora; Porto Santo: mas ad. et femina iuv. — Selvages: feminae multae.

Lithyphantes Thor.

L. nobilis Thor. (Tab. VII, fig. 59, 60).

Lithyphantes nobilis Thorell 1875. Descript. of sever. Eur. a. N.-Afr. Spiders, p. 60. — Warburton 1892. Spiders from Madeira (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 6, v. 10, p. 222, t. 14, f. 9).

Madera: sat multa exempla adulta et iuniora; Porto Santo: feminae adult. tres.

Species haec variat non parum staturâ: feminae 8—13·3 mm. longae sunt, cephalothorace $3^1/_3$—6, tibiâ cum patellâ I. 4·6—7·8 longâ, mares 9·5—11·8 mm. longi, cephal. 4·6—6·4, tib. cum patellâ I. 6·1—77 longâ.

Epigyne (fig. 54) foveâ ornatur circiter sescuplo latiore quam longiore, profundâ, optime definitâ, saepius trapezica postice latiore, angulis omnino rotundatis, rarius ellipticâ, antice excisâ, margo enim anticus medius in foveam ingreditur et septum format liguliforme incompletum, ca. dimidiam foveae longitudinem occupans, crassum: circiter duplo et dimidio angustius quam fovea, apice rotundatum, a fundo foveae sulco acuto optime discretum, basi plerumque sat profunde ita impressum, ut foveolâ ornetur triangulari aut anguliformi, apice retro directâ, antice utrimque saeqe in sulcos transversos recurvos elongatâ; posterius septum plerumque cito humilius fit. Margo posticus foveae omnino compressus, lamelliformis, a tergo visus modice et paullo inaequabiliter convexus.

Bulbus genitalis (fig. 60) in parte apicali exteriore, praeter spinam nigram, instrumenti extrahendis obturaculis suberinis instar curvati (in anfractum unum non completum), basi in tuberculum dilatati (cfr. descriptionem Cel. T. Thorelli l. c.), lamellâ membranaceâ elongatâ ornatur similem in modum curvatâ, spinae fere parallelâ, cum eius latere antico plus minusve contingenti.

Dens, quo mandibulae in apice intus ornantur, in mare latus, a tergo adspectus cum basi unguis, valde crassi, in parte apicali exteriore fere contingere videtur, in feminâ minor.

Pictura non parum mutabilis. Progrediente aetate maculae pallidae in abdomine feminarum obscuriores fiunt et pro parte evanescunt ita, ut saepe vix vestigia ulla earum conspiciantur, quum animal in liquorem est immersum. Limbus pallidus, quo dorsum abdominis anterius cingitur, in dimidio abdominis anteriore latus et sat bene definitus, in posteriore vittis fuscis obliquis plus minusve interruptus et non raro evanescens. Vitta pallida in dorsi parte anteriore sita, circiter ad $^3/_4$

longitudinis pertinens, formâ adeo variat, ut non facile duo exempla omnino similia inveniantur, antice angustata et cum limbo albido modo coniuncta, modo eum non attingens; e lineis quatuor albis, quibus vitta haec cum limbo albido coniungitur, anteriores saepius quam posteriores evanescunt. Latera abdominis in universum isabellina (dilute fulva, ochroleuco punctata) plerumque in dimidio anteriore in mediâ fere altitudine vittâ ornantur fuligineâ libratâ, modice definitâ, postice angustatâ et deflexâ et cum vittâ simili, longitudinali inaequali, quâ venter utrimque ornatur, coniunctâ; pars laterum posterior superius fasciis fuligineis plerumque binis obliquis diffusis picta est; postice latera fuliginea, ex parte pallidius punctata.

Enoplognatha Pav.

E. diversa (Blackw.). (Tab. VII, fig. 42, 43, 45).

Epeira diversa, Blackwall 1859. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 3 s. v. 4, p. 262). — *Enoplognatha mandibularis*, E. Schmitz 1875. Arachnidios da Madeira, p. 198.

Exempla nostra, feminae et mares adulti, probabiliter omnia collecta sunt in insulâ Porto Santo.

Mas *Enoplognathae diversae* valde similis est quidem mari *E. mandibularis* (H. Luc.), facile tamen ab eo distinguitur mandibularum formâ paullo aliâ, colore pedum, imprimis vero armaturâ pedum anteriorum. *Mandibulae* (fig. 43) longitudine $^4/_7$ aut $^3/_5$ cephalothoracis aequant et modo parum modo fortiter proiectae sunt, supra et in latere exteriore inermes, subter modo ad latus interius dentibus duobus validis, fere parallelis ornatae, ut in *E. mandibulari*; dens basi propior fere in mediâ longitudine mandibulae innatus, multo maior, in universum anteriora versus et deorsum et intus directus, in parte basali leviter tumidus, ab imo visus paullo sigmoideus: a basi anteriora versus et intus, in parte mediâ fere anteriora versus directus, apice leviter intus et deorsum curvatus, acutus; supra pone basim dens hic denticulo acuto ornatur; dens alter apici mandibulae paullo propior quam denti primo, multo minor, sat gracilis, fere rectus; ambo dentes non multo breviores sunt quam spatia, quibus ab apice mandibulae distant. Unguis basi in latere exteriore (inferiore) tuberculatus. Dens basi propior in mare, quem *E. mandibulari* subiungendum esse censeo, in Galliâ meridionali capto, minor est quam in *En. diversâ*, et mandibulae adpressus basim dentis alterius parum superaret, neque apicem eius fere attingeret, ut in *En. diversâ*. Fortasse variat tamen dens hic formâ in *En. mandibulari*; in exemplo nostro pars basalis eius non incrassata est et supra nullo denticulo armatur, quum secundum descriptionem *E. mandibularis* a Cel. T. Tho-

rellio prolatam [1]) his in rebus non differat haec species ab *En. diversis* in insulis Maderianis collectis. Mandibulae *En. mandibularis* desuper aut paullo a latere interiore adspectae (fig. 44), in latere exteriore fere aequabiliter convexae, nusquam excavatae saltem videntur; latus hoc in *En. diversâ*, contra, in dimidio apicali leviter quidem evidentissime tamen excavatum aut truncatum saltem est. — Pedes antici *En. mandibularis* aculeis omnino carent, *En. diversae* contra metatarsi anteriores subter spiculis crassis brevibus nigris et pilis basi incrassatis sat numerosis ornantur.

Maris *En. diversae* maximi, quem vidi, *cephalothorax* 2·5 mm. longus est, 1·85 latus, parte cephalicâ 1·53 latâ; dorsum partis cephalicae, a latere visum, postice foveâ mediâ optime definitur, anteriora versus modice adscendit, posterius levissime excavatum est, anterius modice convexum; organum stridulationis dense subtiliter transverse plicatum. *Oculorum* series posterior paullulum procurva, anterior subrecta, oculi medii subaequales, laterales, imprimis anteriores, reliquis paullo maiores videntur, postici medii inter se circiter diametro, a lateralibus fere duplâ diametro remoti, medii antici inter se minus quam diametro, a lateralibus plus quam diametro distant; area oculorum mediorum postice minus quam radio oculi latior quam antice et aeque longa ac lata. Clypeus altitudine circiter $^2/_3$ areae oculorum mediorum aequat. *Palporum* pars patellaris paullo plus duplo longior quam prope apicem latior, tibialis ca. $^1/_5$ brevior quam patellaris, apicem versus leviter et paene aequabiliter dilatata et incrassata, apice paullo oblique truncata; lamina tarsalis ca. $^2/_3$ longior quam dorsum partis tibialis, $^1/_3$ saltem longior quam latior, ovata, asymmetrica, latere interiore fortius curvato. Margo alveoli exterior non procul ab apice dente anteriora versus et intus directo, acuto instructus. Bulbus genitalis (fig. 45) similis atque in *En. mandibulari*, minutiis tamen quibusdam distinctus: embolus et conductor emboli paullo longiores; in angulo inter marginem apicalem „partis basalis“ bulbi et marginem interiorem alveoli bulbus unco ornatur corneo nigro sat gracili (difficilius conspicitur), qui uncus deest omnino *En. mandibulari*; huius bulbus (fig. 47) vero dente instructus est corneo, fulvo, compresso, lato, obtuso, obliquo, a margine alveoli paullo remoto. *Pedum* I. femur 2·55, patella 1·02, tibia 2·26, metatarsus 2·11, tarsus 1·02, pedum II. partes: 2·11, 0·87, 1·68, 1·71, 0·88, pedum III: 1·68, 0·69, 1·13, 1·46, 0·76, IV: 2·26, 0·73, 1·86, 197 (tarsus?) mm. longae. *Abdomen* 2·7 longum, 1·7 latum.

Exempli nostri minimi *cephalothorax* 1·9 longus, 1·45 latus, pars

[1]) Remarks on Synonyms cet., p. 554.

cephalica 1·02 lata, pedum I. partes: 1·97, 0·73, 1·82, 1·64, 0·80 longae, abdomen 2·3 longum, 1·5 latum. Dorsum partis cephalicae posterius rectum fere. *Oculorum* series posterior modice procurva, oculi medii a lateralibus non longius quam sescuplâ diametro, antici medii a lateralibus paullulo minus quam diametro suâ remoti. *Palporum* pars patellaris duplo tantum longior quam latior, pars tibialis eâ fere $^1/_3$ brevior, lamina tarsalis aeque longa ac pars patellaris.

Femina *En. diversae* differt ab *E. mandibulari* imprimis pedibus non solum, ut in hac, annulis obscuris ornatis (distinctius quidem quam in *E. mandibulari*), sed etiam fuligineo punctatis (punctis maioribus minoribusque, melius expressis in pedibus anterioribus et melius in lateribus et subter quam supra, ubi in femoribus solis conspiciuntur obsoleta aut desunt), ut et epigynae formâ aliâ: *E. diversae* epigyne (fig. 42) ad ipsum marginem posticum foveolâ ornatur minutâ transversâ, postice margine plus minusve acuto optime limitatâ; epigynae *En. mandibularis* (fig. 41) paullo mutabilis est, foveola maior, a margine postico paullo remota, rotundata, marginibus perparum definitis, posteriora versus plus minusve et varium in modum diffusa. — Pedes *E. diversae* aliquantulum robustiores et breviores mihi videntur quam *En. mandibularis*, nota haec tamen paullo mutabilis est en non satis certa. Ex. gr.: *En. diversae* cephal. 3·06 long., 2·19 lat., patell. IV. 1·09, tib. IV. 1·97 long.,

	„	2·70	„	2·11	„	„	1·02,	„	1·78	„
	„	2·55	„	2·04	„	„	0·98	„	1·68	„
	„	2·41	„	1·86	„	„	0·91	„	1 68	„
En. mandibul.	„	1·97	„	1·53	„	„	0·76	„	1·57	„
	„	1·70	„	1·35	„	„	0·66	„	1·27	„

Utrum *Enoploqnatha Sattleri* Bösenb. [1]), cuius exemplum unicum, colore ex parte perdito, olim vidi, propria sit species, an forma modo *En. diversae*, ulterius inquirendum videtur. Epigyne eius eâdem fere est formâ atque *E. diversae;* huius tamen pars epigynae postica incrassata a tergo adspecta parietem format praeruptum, in lateribus ut supra non male definitum, trapezicum fere, ventrem versus latiorem, duplo fortasse latiorem quam altiorem; pars respondens *E. Sattleri* valde humilis est, ita, ut epigyne supra planum ventris elevata dici non possit. Pedes *E. Sattleri* eâdem fere videntur longitudine atque exemplorum parvorum *E. diversae* (cephal. 2·48 longus, 1·89 latus, patella IV. 0·95, tibia IV. 1·82, patella itaque dimidiam tibiam longitudine parum superat!). Oculi *E. Sattleri*

[1]) W. Bösenberg 1895. Beitrag zur Kenntnis der Arachniden-Fauna von Madeira und den Canarischen Inseln. (Abhandl. aus d. Gebiete d. Naturwiss. Hamburg), p. 4, f. 7 a, b, c.

postici medii a lateralibus ne sescuplâ diametro quidem, *E. diversae* plerumque duplâ fere diametro distant, sed nota haec constans non est, intervallum hoc enim nonnunquam in *E. diversâ* sescuplam diametrum parum modo superat.

Ventris picturam quod attinet, *En. diversa* insigniter variat et plerumque insigniter differt ab *E. Sattleri*. Area mamillarum cingulo cincta angusto fulvo, qui annulo circumdatur inaequali fuligineo aut nigro, utrimque maculis albis 2 aut 3 ornato, non raro late interrupto. Plerumque venter utrimque vittâ ornatur angustâ, e punctis flavido albis confertis compositâ, in longitudinem directâ, aream mamillarum attingenti, optime expressâ. Area vittis his inclusa plerumque multo obscurior est quam laterum partes vicinae, fuliginea aut umbrina, fulvo aut saepius fulvo et flavo-albo ita contaminata et punctata, ut vittas quinque longitudinales formet: mediam et marginales obscuras, et duas interiectas pallidas; e vittis his media reliquis plerumque melius expressa est. Nonnunquam tamen area haec maximam partem punctis ochroleucis repletur ita, ut restet modo vitta media angusta obscura, plus minusve distincta; venter tum multo pallidior evadit quam laterum partes vicinae et colore parum differt a ventre *E. Sattleri*, cuius area pallide colorata, fere quadrata, in universum multo pallidior est quam abdominis latera fuligineo reticulata, et antice ad epigynam maculâ paullo maiori, ad marginem posticum maculis minoribus fuligineis, in lineâ mediâ vero, paullo pone medium puncto fuligineo ornatur.

Argiopidae.

Linyphiinae.

Brachycentrum Dahl.

B. mediocre n. (Tab. VII, fig. 55—58).

Lophocarenum stramineum, E. Simon 1884. Les Arachnides de France, v. 5, p. 678, f. 529—32.

Marem unum in insulâ Maderâ captum *Brachycentro* illi subiungendum censeo, quod Cel. E. Simon ut „*Lophocarenum stramineum* Menge“ descripsit.

Paullulo minor mas hic videtur quam *Lophocarenum stramineum* E. Sim., 1·6 mm. longus est, cephalothorace 0·75, abdomine 1·05 longo, paullo obscurior: cephalothorace obscure rufescenti-umbrino, margine obsolete et diffuse fortius infuscato, striis radiantibus obscuris partis thoracicae parum expressis, sterno colore cephalothoracis, pedibus flavo-testaceis, apicibus coxarum tibiarum metatarsorum parum obscurioribus. Sulcus, quo tuber cephalicum infra definitur, in latere utroque magis

quam postice profundus, foveam profundam format quidem, fovea haec tamen difficilius conspicitur. Intervallum oculorum anticorum mediorum multo minus quam lateralia mihi videtur quidem, sed diametro oculorum mediorum insigniter minus; oculi medii postici ca. triplâ suâ diametro tantum inter se distant. Apex prosessus tibialis exterioris non rectus est, ut in fig. 531 l. c., sed in uncum brevem incurvatus (fig. 57). Angulus ille, parum promineus, quem Cel. E. Simon delineavit inter ambos processus tibiales, in fig. 531 et 532, vix conspicitur in exemplo nostro. Processus tibialis interior (fig. 55, 56) magis inaequalis quam in his figuris: subter in dimidio basali in sinum excisus fere semicircularem, antice optime definitum denticulo paullo retro directo, qui denticulus etiam desuper conspicitur plus minusve prominens; a denticulo hoc processus apicem versus aequabiliter angustatus videtur, quum a latere adspicitur, dimidiae cuspidi hastae similis. — Processus, quo secundum Cel. E. Simonium basis bulbi genitalis in latere exteriore ornatur, certo paracymbium est, et non ad bulbum genitalem sed ad laminam tarsalem pertinet.

Non desunt itaque differentiae inter exemplum nostrum et descriptionem *Lophocareni straminei* E. Sim., nescio tamen, an non omnes verae et solidae; ceterum leves eae sunt adeo, ut ad novam speciem proponendam certo non sufficiant.

Dorsum laminae tarsalis *Brachycentri mediocris* a latere visum prope medium (basi paullo propius) in angulum fractum est evidentissimum, recto maiorem, apice obtusum Bulbus genitalis (fig 58) e „lobis“ quatuor imprimis constat et ex parte quâdam in apice sitâ. Lobi duo cornei; alter in parte exteriore basali situs oblongus, oblique positus, antice fere dimidiam longitudinem bulbi attingit, postice vero basim bulbi mediam; alter elongatus, inter basim bulbi mediam et marginem interiorem anticum extensus, sed apicem laminae tarsalis non attingens. Inter hos lobos duo alteri, maximam partem membranacei iacent; eorum exterior oblongus, angulo postico exteriore producto et insigniter prominenti, quum bulbus a parte exteriore superiore adspicitur, in parte anticâ superiore vero in lamellam corneam obtusam productus; lobus membranaceus interior minor, ab imo visus rhombicus fere, obliquus (anteriora versus et intus directus) angulo postico late truncato et sinuato. Sub margine postico lobi huius calcar emergit crassum, corneum, retro directum, leviter flexuosum, bulbo ita adpressum, ut difficilius distinguatur. Apicem bulbi processus format corneus nigricans, insigniter inaequalis, in anfractum unum curvatus, plus minus transverse positus, cuius apex liber, mediocri longitudine, sat gracilis, in apice bulbi a latere exteriore visi prominet deorsum et paullo ante-

riora versus directus. Antice processus hic unco brevi corneo foras curvato ornatur, qui ab imo facile conspicitur. Processus hic, qui certo embolus est et in latere exteriore membranâ quâdam (certo „conductore emboli") ex parte occultatur, sine dubio cum calcare supra commemorato connatus est.

Brachycentrum hoc novo nomine ornavi, quoniam *Lophocarenum stramineum* Mengei valde dubium synonymum *L. straminei* a Cel. E. Simonio descripti mihi videtur. Mengei species, secundum descriptionem, maior est quam *L. stramineum* E. Sim., multo pallidior, cephalothorace dilute-flavo, pedibus cephalothoraci concoloribus, tibiis anterioribus flavido-fuligineis!, abdomine virescenti-cinereo. Sculpturae reticulatae cephalothoracis, quae sat crassa est in *Br. mediocri*, Menge nullam mentionem fecit, quamquam granula minuta, quibus vittae radiantes cephalothoracis *L. straminei* ornantur, animadvertit et descripsit. Scuto abdominali corneo, crasse umbilicato-punctato, *Lophocarenum stramineum* verum carere videtur; eius abdomen sat dense pilosum describitur, quod de *Brachycentro mediocri* vix dici potest. — Ni fallor, *Lophocarenum stramineum* Mengei species quaedam generis *Walckenaërae* est, mihi ignota.

Erigone Sav.

E. vagans Sav.

Erigone vagans, Savigny 1825—27. Descript. de l'Égypte, t. 1. f. 9. — (?) *Neriene pigra*, Blackwall 1862. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 4, p. 378).

Porto Santo, mas et feminae adultae paucae.

Micryphantes C. L. Koch.

M. fuscipalpus C. L. Koch.

Micryphantes fuscipalpus, C. L. Koch 1836. Die Arachniden, v. 3, p. 46, f. 202.

Mas et feminae paucae lectae sunt in ins. Maderâ.

M. rurestris C. L. Koch?

? *Micryphantes rurestris*, C. L. Koch 1836. Die Arachniden, v. 3, p. 84, f. 231—2.

Feminae paucae in ins. Maderâ collectae huic speciei potius quam praecedenti subiungendae videntur, propter pedes laete rufo-flavos, colore fusco non suffusos.

Lephthyphantes Menge.

L. tenuis (Blackw.).

Linyphia tenuis, Blackwall. 1852. A Catal. of Brit. Spid. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 2 s., v. 9, p. 18). — *Leptyphantes tenebricola*, E. Simon 1884. Les Arachnides de France, v. 5. p. 2, pag. 317, f. 84, 85. (Non *Linyphia tenebricola* Wider.).

Madera: sat multa exempla adulta et iuniora; Porto Santo: mas et femina.

L. Schmitzii n. sp.

Femina unica nuper adulta lecta est in insulâ Maderâ.

Cephalothorax 0·8 longus, 0·63 latus, antice lateribus vix sinuatis fortiter angustatus, fronte ca. 0·32 latâ, subtilissime reticulatus; dorsum partis cephalicae anteriora versus parum adscendit, pone oculos paullulum convexum est. Series *oculorum* posterior leviter recurvata, oculi spatiis subaequalibus, circiter radium mediorum aequantibus remoti; series anterior modice recurvata, marginibus inferioribus oculorum lineam subrectam designantibus, oculi medii lateralibus multo minores, inter se circiter radio, a lateralibus ca. $^2/_3$ diametri remoti; area oculorum mediorum postice fere oculi diametro sive dimidio saltem latior quam antice et aeque lata ac longa. Clypeus altitudine $^4/_5$ area oculorum mediorum aequat. *Mandibulae* clypeo duplo et dimidio longiores, 0·34 longae. *Sternum* laeve, margines versus subtilissime reticulatum, usque ad marginem posticum coxarum IV. productum ibique late truncatum et duplo modo angustius quam coxae IV. longae. Pedes longi, anticorum femur 1·07, patella 0·26, tibia 1·10, metatarsus 1·04, tarsus 0·75, pedum II. partes 1·01, 0·23, 0·97, 0·88, 0·68, pedum III. 0·88, 0·21, 0·76, 0·81, 0·55, IV. 1·17, 0·24, 1·11, 1·07, 0·72 longae. Femora antica antice pone medium aculeo 1 armata, reliqua inermia; patellae in apice aculeo 1, tibiae supra 1.1, quatuor anteriores etiam in latere postico saltem (probabiliter etiam in antico) pone medium 1, metatarsi 6 anteriores aculeo 1 instructi, postici inermes; aculei longi, ex. gr. aculeus tibiae IV. basi propior eius diametro fere quinquies longior. *Abdomen* 0·9 longum, 0·6 latum, formâ vulgari. *Epigyne* (fig. 74—76) magna valde, a latere adspecta processum format 0·32 longum, in dimidio apicali 0·23 crassum, paullo magis deorsum quam retro directum, rectum, lateribus in parte basali parallelis, in latere postico paullo ante medium subito sed modice incrassatum, apice omnino rotundatum. A parte anticâ inferiore visa epigyne basi 0·37 lata est, in dimidio basali modice et paene aequabiliter angustata, in apicali 0·21 lata, lateribus parallelis, apice late rotundato et in medio in apiculum rotundatum producto. Pars apicalis epigynae a tergo simulque a parte inferiore adspecta deltoidea videtur, postice latior, angulis rotundatis, e „scapo“ medio constat et ex „alis lateralibus“ cum scapo magnam partem contingentibus; „alae“ parietes laterales modo occupant, rotundatae sunt et marginem epigynae a latere visae non attingunt; scapus longus, in pariete epigynae antico et in eius apice lateribus fere parallelis, paullulo modo angustatus, in

pariete postico in lamellam ovatam dilatatus (hoc loco scapus certo complicatus est et reliquae eius partes in epigynâ absconditae). In apice epigynae alae laterales cum scapo non contingunt, sed ab eo spatiis distant longis et angustis, quae particulis quibusdam (ni fallor, scapi complicati partibus) replentur.

Color exempli nostri nondum perfecte evolutus est. *Cephalothorax* sordide-flavidus, marginibus fortiter infuscatis, in occipite maculâ ornatus subquadratâ pallide fuscâ, antice ramos tres emittenti, quorum laterales angulos eius cum oculis posticis lateralibus coniungunt; oculi cingulis nigris cincti, inaequalibus, ex parte confusis; cinguli oculorum mediorum posticorum postice in vittas breves, sensim evanescentes producti. Pars thoracica radiis utrimque 3 fuscis parum expressis picta. Mandibulae colore cephalothoracis; maxillae flavo-fuscae, sternum et labium fuliginea; palpi et pedes dilute sordide flavidi, cephalothorace paullo pallidiores; pedum coxae subter colore fusco contaminatae. *Abdomen* fuligineum, dorso pallidiore umbrino, picturâ ornato mediocriter expressâ, e fasciis compositâ circiter 7 transversis, quarum anteriores — late angulatae — posterioribus leviter recurvatis crassiores sunt et longius inter se distant. Praeterea dorsum abdominis vittâ mediâ parum expressâ, marginem anticum cum fasciâ tertiâ coniungenti, lineam pallidiorem continenti, pictum est.

Lephthyphantes inc. sp.

Lephthyphantae cuiusdam mihi ignoti — cephalothorace flavido, vittâ mediâ nigrâ, antice anguste furcatâ ornato, abdomine fulvo, eius dorso antice lineâ nigrâ brevi, tum paribus tribus macularum rotundatarum, pone eas vero angulis duobus, denique lineis transversis duabus nigris picto, lateribus abdominis supra et infra abunde albo maculatis, pedibus flavidis concoloribus — exemplum unum non adultum lectum est in insulâ Maderâ.

Linyphia Latr.

L. Johnsonii Blackw. (Tab. VII, fig. 59, 61, 62, 65, 66).

Linyphia Johnsoni, Blackwall. 1859. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 3 s., v. 4, p. 261).

Frequens videtur in insulâ Maderâ, occurrit etiam in ins. Porto Santo.

Femina 4·3—4·8 mm. longa est; exempli cephalothorace 2·05 longo, 1·3 lato, abdomen 3·6 longum, 2·2 latum, pedes I. 11·5, II. 10·1, III. 6·8, IV. 9·3, pedum I. femur 3·0, patella 0·58, tibia 2·92, metatarsus 2·92, tarsus 1·60, pedum II. partes 2·8, 0·58, 2·48, 2·55, 1·31, pedum III. 2·05, 0·48, 1·49, 1·75, 0·87, IV. 2·75, 0·48, 2·11,

2·55, 1·17 longae. Exempli nostri minimi cephalothorax 1·4, tibia cum patellâ I. 2·44, IV. 1·78 longa. — *Cephalothorax* subtiliter reticulatus. *Oculorum* series posterior desuper visa fere recta, a fronte visa fortiter deorsum curvata: oculis lateralibus non parum infra marginem inferiorem mediorum, qui emitentiae communi insigni innati sunt, sitis; oculi postici medii lateralibus multo maiores (diametro fere duplo maiore), inter se plus quam diametro, a lateralibus ca. $^3/_4$ diametri remoti; series anterior leviter recurvata, oculi medii lateralibus non evidenter minores, inter se non longius saltem quam radio, a lateralibus sescuplâ diametro saltem remoti. Area oculorum mediorum postice duplo fere latior quam antice et paullo latior quam longior, circiter quartâ suâ parte longior quam clypeus sub eâ altus. *Mandibulae* clypeo fere quadruplo longiores. *Sternum* densissime scabrum, opacum. *Pedum* omnium femora supra aculeo 1, antica etiam in latere antico aculeis 1.1 ornata; tibiae abunde aculeatae; metatarsi omnes aculeis pluribus quam 1 instructi. *Epigyne* (fig. 65) in transversum leviter convexa, postice leviter rotundata et in medio in sinum parvum triangularem excisa; sinus postice clausus est margine ligulae pallidae excavatae, profundius sitae, ultra marginem posticum epigynae parum aut non prominentis.

Mas insigniter variat staturâ: 2·4—4·8 mm. longus est, cephalothorace 1·15—2·1 longo; feminae similis, abdomine tamen angusto, duplo et dimidio longiore quam latiore. *Mandibulae* clypeo quadruplo longiores, tuberibus evidentioribus carent. *Palporum* pars femoralis et patellaris formâ vulgari, patellaris circiter dimidio longior quam latior; pars tibialis (fig. 62) patellari fere sescuplo longior, desuper visa a basi apicem versus modice et paene aequabiliter dilatata, apice duplo latior quam basi, a latere visa etiam fere aequabiliter et leviter incrassata, in apice leviter attenuata, in dorso ad apicem prope a latere exteriore setâ sat forti et longâ instructa. Lamina tarsalis paullulo longior quam pars patellaris cum tibiali, fere duplo longior quam basi latior, quum desuper simulque paullo a latere interiore adspicitur, latere interiore longiore quam exterius, aequabiliter fere leviter arcuato, latere exteriore in dimidio basali in lobum obtusum modice dilatato, in dimidio apicali modice angustata, apice breviter rotundato. Paracymbium subplanum, parvum, pars eius libera angusta. Bulbus genitalis (fig. 61) formâ fere eâdem atque in *L. impigrâ* Cambr. et *L. pusillâ* Sund.; lamina illa cornea maxima, quae bulbi dimidium interius totum fere tegit, postice sub partem tibialem parum — ut in *L. impigrâ* — neque insigniter, ut in *L. pusillâ*, producta. Exempli cephalothorace 1·8 longo pedum I. femur 3·43, patella 0·54, tibia 3·5, metatarsus 3·14, tarsus 1·82, pedum

II. partes: 3·13, 0·51, 2·92, 3·35, 1·53, pedum III. 2·19, 0·40, 1·60, 1·90, 0·95, IV. 2·92, 0·44, 2·41, 2·99, 1·17 longae.

Species haec valde affinis est *L. impigrae* Cambr. et *L. pusillae* Sund., differt tamen ab eis colore longe alio (fig. 59, 66), a *L. impigrâ* etiam parte tibiali palporum maris gracili, a *L. pusillâ* bulbo genitali sub partem tibialem producto.

L. dearmata n. sp. (Tab. VII, fig. 63, 64, 69, 70).

Madera: feminae adultae tres (et una iuvenis?).

Femina 5·5 mm. longa. *Cephalothorax* 1·8 longus, 1·15 latus, anguste ovatus, postice sat late truncatus et leviter emarginatus, antice modice angustatus, lateribus vix sinuatis, supra basim palporum 0·87, sub serie secundâ oculorum 0·76 latus, fronte late rotundatâ, subtilissime reticulatus, parum nitens; impressiones cephalicae vadosae, fovea media profunda oblonga; pars dorsi postica longa modice declivis, dorsum inter eam et oculos in universum sublibratum, leviter modo et paullo inaequabiliter convexum. *Oculi* postici subaequales, lineam designant paullulo recurvatam, medii eorum non elevati, inter se non totâ diametro, a lateralibus ca. $^4/_3$ diametri remoti; series anterior modice recurvata, oculi medii paullo minores, laterales paullulo maiores(?) quam postici, medii inter se radio saltem, a lateralibus non multo minus quam duplâ diametro distantes. Area oculorum mediorum non totâ diametro oculi latior postice quam antice, aeque circiter longa ac lata. Clypeus sub oculis leviter impressus, inferius paullulo proiectus, altitudine ca. $^2/_3$ areae oculorum mediorum aequans. *Mandibulae* 0·9 longae, clypeo quadruplo longiores, apice intus rotundato angustatae; sulcus unguicularis armatus antice dentibus quinque valde inaequalibus, secundo reliquis maiore, postice dentibus 5, minoribus, primo reliquis maiore, his minutis. *Maxillae* longiores quam latiores, apice oblique truncatae et rotundatae, angulo exteriore bene expresso, obtuso. *Labium* aeque longum atque pars maxillarum ultra suum apicem prominens, apice crasse marginatum. *Sternum*, opacum, punctis paullulo elevatis, pilos gerentibus adspersum, ceterum sculpturâ evidentiori caret, postice usque ad marginem posticum coxarum IV. productum est, apice truncatum et leviter emarginatum, inter coxas IV. paullulo latius quam earum dimidia latitudo. *Pedes* tenues, I. 11·1, II. 9·3, III. 5·5, IV. 8·5, anticorum femur 2·84, patella 0·51, tibia 2·73, metatarsus 2·92, tarsus 1·53, pedum II. partes: 2·41, 0·51, 2·41, 2·33, 1·17, pedum III. 1·68, 0·40, 1·12, 1·46, 0·69, IV. 2·48, 0·44, 1·89, 2·33, 1·02 longae. Aculeis modo paucis pedes ornantur (eorum plerique in exemplis nostris defracti), femora inermia videntur, patellae aculeo 1, tibiae omnes supra 1.1, praeterea II. aut I.

et II. in latere postico pone medium 1 et subter pone medium 1 ornatae; metatarsi inermes. *Abdomen* 3·4 longum, formâ paullo varians, desuper visum dimidio aut paullo plus quam dimidio longius quam latius, ovatum in dimidio posteriore latius, postice breviter acuminatum, aut fere ellipticum postice rotundatum (post partum). Aeque altum est abdomen atque latum aut paullo humilius (post partum), postice ad perpendiculum truncatum aut paullulo impendens et leviter emarginatum, hic non multo aut parum humilius quam in medio; eius dorsum in longitudinem modice convexum, antice, ubi supra cephalothoracem paullo prominet, modo parum modo duplo humilius quam supra mamillas. *Epigyne* (fig. 63) mediocris, tuber format sat convexum, sed ultra marginem posticum epigastrii parum aut vix prominet; tuber hoc postice in foveam excavatum est profundam, ca. 0·40 latam, paullo plus duplo latiorem quam longiorem, in utroque latere margine incurvato corneo, sat acuto, optime definitam, quae magnam partem tubere inaequali repletur et eo in foveolas duas dividitur. Margines foveae cornei, antice intus et denique paullo retro curvati, evanescunt in tubere, quo fovea repletur, inter se circiter $^1/_3$ totius latitudinis foveae remoti. Tuber pallidum est, late cordiforme fere, apice retro directo obtuso, in foveam sat profundam excavatum; quae fovea — marginibus crassis obtusis definita — antice inter partes recurvatas marginum corneorum, supra commemoratorum ingreditur et hic modo sensim evanescit, modo margine definitur modice expresso, ex arcubus constanti duobus recurvatis, in medio coniunctis et carinulam retro directam emittentibus.

Color (fig. 64, 69, 70) valde varians. *Cephalothorax* cum mandibulis dilute flavidus, colore rufo suffusus, marginibus concoloribus, colore umbrino aut fuligineo pictus: vittâ ornatus mediâ brevi, sulco ordinario respondenti, et utrimque vittâ latâ diffusâ, a margine insigniter remotâ, antice oculos laterales plus minusve attingenti, postice — in parte thoracicâ — cum vittâ oppositâ coniunctâ; pictura haec nonnunquam omnino evanescit. *Palpi* et *pedes* colore cephalothoraci similes, pallidiores; pedum tibiae in apice anguste, metatarsi paullo latius colore fuligineo aut rufo plus minusve tincti, evidentius in pedibus anterioribus. Maxillae flavidae aut rufo-flavidae, basim versus saepe infuscatae. *Labium* fuscum, apice pallido. *Sternum* rufo-flavidum aut fuligineum. *Abdomen* isabellinum aut umbrino-isabellinum, colore albo abunde pictum; color dominans dorsi et ventris isabellinus, laterum et parietis postici albus. Dorsum modo punctis albis (nonnunquam paucis) adspersum, modo etiam maculis albis maioribus ornatum: ad marginem anticum duabus oblongis, retro et foras directis, prope medium sed margini antico paullo propius maculâ maiore quadratâ aut paullo transversâ, an-

guste dimidiatâ aut in maculas rotundatas quatuor divulsâ, inter eam et apicem coni supra-mamillaris paribus duobus macularum minorum; maculae hae omnes spatium occupant cephalothorace duplo circiter angustius. Desuper visum dorsum in lateribus ornatur paribus quatuor macularum albarum obliquarum: retro et foras directarum; harum macularum anticae paullo ante medium dorsum iacet et plerumque cum picturâ albâ laterum abdominis non coniunguntur, reliquae vero in vittas albas laterum abeunt; nonnunquam maculae hae omnes inter se confusae limbum formant supra inaequalem. Latera abdominis antice inferius vittâ picta albâ latâ longitudinali, postice fasciis albis latis tribus, supra procurvis, infra fere directis, quarum antica cum apice postico vittae longitudinalis coniungitur, reliquae modo totam laterum altitudinem occupant, modo infra obsoletae sunt aut interruptae. Pictura haec plus minusve expressa, nonnunquam adeo dilatata et confusa, ut tota fere latera alba evadant, antice modo superius isabellina. Postice abdomen album est et modo picturâ isabellinâ caret, modo inferius maculâ ornatur oblongâ, cum apice coni supramamillaris lineâ angustâ coniunctâ et punctis albis (mutabilibus) contaminatâ. Venter umbrino-isabellinus, punctis albis parvis contaminatus. Mamillae isabellinae aut rufo-umbrinae.

Exemplum non adultum (an huius speciei?), unicum quod vidi, differt colore insigniter ab adultis. Cephalothorax eius non solum vittis lateralibus sed etiam lineâ mediâ latiusculâ antice furcatâ, oculos non attingenti ornatur. Abdomen supra album, lineâ pictum mediâ angustâ, passim dilatatâ et ramulos obliquos subtilissimos emittenti, umbrino-isabellinâ, mamillas attingenti, praeterea in latere utroque anterius anguste fuligineo marginatum, in medio et posterius maculis fuligineis utrimque quatuor modice expressis, paullo obliquis ornatum. Latera maximam partem alba, vestigia tantum picturae supra descriptae praebent. Supra mamillas macula umbrino-isabellina paullo transversa, punctis albis quatuor picta. Venter abunde albo punctatus.

* * *

Praeter *Linyphiinas* supra enumeratas lecta sunt in ins. Madera et Porto Santo exempla feminina specierum duarum, quarum nomina extricare mihi non contigit.

Tetragnathinae.

Tetragnatha Latr.

T. extensa (L.).

Aranea extensa, Linné 1758. Systema naturae, ed. 10, v. 1, p. 621.

Exempla aliquot, a Polonicis non distincta, collecta sunt in Maderâ (feminae) et in ins. Porto Santo (mas et femina).

T. obtusa C. L. Koch.

Tetragnatha obtusa, C. L. Koch 1837. Uebersicht des Arachn.-Systems, I., p. 5.

In ins. Maderâ collecta sunt sat multa exempla adulta et iuniora, in ins. Porto Santo femina una. — Ab exemplis Polonicis differt *T. obtusa* Maderiana folio dorsuali abdominis omnino fere deleto; ad formam nullam differentiam cernere possum.

Maderam incolit fortasse tertia quaedam species *Tetragnathae;* exempla duo in hac insulâ lecta, non adulta, neque *T. extensae* neque *T. obtusae* subiungere audeo.

Meta C. L. Koch.

M. Merianae (Scop.) var.? **obscura** m.

? *Aranea Merianae*, Scopoli 1763. Entomologia Carniolica, p. 395.

Meta Maderam incolens, quam *M. Merianae* esse puto, differt ab exemplis Europaeis, quae vidi, colore obscuriore, staturâ maiore, oculorum situ paullulo alio. Folium dorsuale abdominis in adultis valde indistinctum est, latera abdominis enim, obscura, a dorso colore non aut parum differunt. Vitta media obscura ventris caret maculis illis duabus pallidis, puncta alba continentibus, quibus venter exemplorum Europaeorum fere semper ornatur paullo pone medium. Iuniora, etiam obscura, picturam dorsualem abdominis similem praebent, atque exempla Europaea, venter eorum tamen maculis pallidis caret. Exempli Maderiani maximi cephalothorax 5 mm. longus est, pedes I. 27·5 mm.; eius oculi postici medii a lateralibus circiter sescuplâ diametro suâ distant, neque diametro, ut in *M. Merianae* Europaeâ.

Nihilominus *Metam* hanc varietatem potius *M. Merianae* quam speciem propriam esse censeo (mas adultus, qui ad rem decernendam plurimum prodesset, non est, eheu, inventus), variat enim staturâ et oculorum situ (exempli nostri minimi cephalothorax 4·0, pedes I. 20·5 mm. longi sunt, oculi postici medii a lateralibus $^8/_7$ diametri modo distant) et neque epigynae formâ neque pedum armaturâ differre videtur ab exemplis Europaeis.

M. Barreti n. sp. (Tab. VIII, fig. 79).

Meta segmentata, E. Schmitz 1895. Arachnidios da Madeira, p. 198.

Meta, M. segmentatae (Clerck) et inprimis eius varietati *Mengei* (Blackw.) simillima, cuius exempla sat multa, sed omnia, eheu, non adulta collecta sunt in ins. Maderâ et unum in ins. Porto Santo, certo propria est species. A *Meta Mengei* differt haec *M. Barreti* his re-

bus: Series *oculorum* posterior desuper visa non recta fere est sed evidenter recurvata, ita, ut margines postici oculorum mediorum cum marginibus anticis lateralium lineam designent parum modo procurvam; pictura *abdominis* simillima quidem, area dorsualis tamen (obscure colorata optime aut bene definita, in parte posteriore saltem) margines in parte posteriore angustiore habet non aut vix inaequales et cum picturâ obscurâ laterum ad mamillas solum coniungitur (fig. 79), quum in *M. Mengei* pars folii dorsualis angustior prope medium dente utrimque ornetur plus minusve evoluto et cum laterum colore obscuro saepe coniuncto (fig. 78). Imprimis vero *M. Barreti* insignis est *pedum armaturâ:* tibiae anteriores — praeter aculeos dorsuales 1.1 — utrimque serie aculeorum longorum ornantur, basi magis subter, apicem versus vero in lateribus sitâ, ad ipsam basim initium capienti; series tibiae I. anterior ex aculeis 6, posterior plerumque ex aculeis 5, series anterior tibiae II. e 5, posterior e 4 constat; metatarsus I. supra prope basim ad latus posticum aculeo 1, et inter basim et medium antice aculeis 1.1, postice 1.1.1 (rarius 1.1) instructus; metatarsorum II. armatura similis, paullo minus sibi constans. *M. Mengei* tibiae anteriores, praeter aculeos dorsuales 1.1 aut 1, in utroque latere aculeis modo 1.1.1 (in tibiis II. postice saepe 1.1) ornantur, aculeus primus longe a basi tibiae distat, ut reliqui in latere ipso neque subter situs est; aculei in metatarsis anterioribus postice 1.1, antice 1 tantum.

Exempla iuniora *M. Barreti* differunt ab subadultis pedum armaturâ ex aculeis paucioribus compositâ, ita, ut difficilius a *M. Mengei* distinguantur.

Argiopinae.

Argiope Sav.

A. trifasciata (Forsk.).

Aranea trifasciata, Forskal 1775. Descriptiones animalium cet., p. 86.

Madera, Porto Santo; exempla adulta et iuniora, sat numerosa.

A. Bruennichii (Scop.).

Aranea Bruennichii, Scopoli 1772. Observationes zoologicae, p. 125.

Madera: feminae et mares; rarior videtur quam *A. trifasciata*. — Porto Santo: femina unica.

Cyclosa Menge.

C. maderiana n. sp. (Tab. VII, fig. 67, 68, 71—73).

Feminae paucae collectae sunt in ins. Maderâ.

Feminae cephalothorax 1·8 mm. longus, 1·45 latus, fere laevis, sat nitidus, lateribus partis thoracicae fortiter rotundatis, parte cephalicâ

postice 0·88 latâ, anteriora versus paullo angustatâ, antice modice rotundatâ, parte mediâ oculos anticos medios gerenti prominenti, sulco profundo procurvo in partes duas divisus, foveâ mediâ profundâ rotundatâ ornatus, inter eam et sulcum transversum ut etiam in parte anteriore disperse pilosus. A latere adspectae partes cephalothoracis ambae sat fortiter convexae, anterior posteriore vix altior. Series *oculorum* posterior insigniter recurvata, oculi medii inter se non toto radio, a lateralibus, qui paullo minores sunt, duplâ saltem diametro remoti; series anterior a fronte visa sat fortiter recurvata, oculi medii posticis mediis paullo maiores, inter se diametro, a lateralibus sescuplâ diametro remoti; oculi laterales antici posticis paullulo maiores, ab eis ca. $^1/_3$ diametri distantes. Area oculorum mediorum antice fere radio oculi latior quam postice, paullo longior quam antice latior. *Mandibulae* ca. 0·8 longae, directae, nitidae, parum pilosae. *Sternum* nitidum, eminentiis modice evolutis ornatum in angulis anticis et binis adversus coxas II. et III. *Pedes* aculeis paucis modo, plerisque setiformibus et a pedum pilis parum distinctis instructi: femora antica aculeo 1 fortiori antice prope medium (aut etiam aculeo debiliori antice prope apicem) ornata, reliqua inermia, patellae omnes supra aculeo 1 pone basim et apicem versus, praeterea anteriores (aut II. saltem) postice apicem versus aculeo 1, tibiae anteriores supra 1.1, posteriores supra pone basim 1, I. antice in dimidio basali 1, III. subter prope medium 1 sat forti armatae. Pedum I. femur 1·8, patella 0·8, tibia 1·28, metatarsus 1·09, tarsus 0·58, pedum II. partes: 1·57, 0·73, 1·13, 1·02, 0·55, pedum III.: 1·06, 0·51, 0·62, 0·62, 0·48, IV.: 1·6, 0·69, 1·06, 1·06, 0·55 mm. longae. *Abdomen* 3·1—4·2 longum, 1·8 - 2·1 latum, modo paullo altius modo humilius (post partum) quam latius, formâ insigniter varians, in dorsi parte anteriore pari tuberum obtusorum, magis sursum quam foras directorum ornatum, postice pone mamillas in conum apice obtusum, retro et paullo sursum directum productum, inter eius apicem et mamillas paullo aut valde oblique truncatum et saepe excavatum; dorsum eius a latere visum inter tubera dorsualia et petiolum rotundatum aut rotundato-angulatum est, inter tubera et apicem coni postici sublibratum et modo paene rectum modo leviter excavatum; mamillae modo paullo longius a coni apice quam a petiolo, modo ab hoc paullo longius quam ab illo remotae. Ante partum abdomen duplo fere aut paullo plus duplo longius est quam latius, paullo pone medium latissimum, ambitu circiter in $^3/_4$ anterioribus ovatum, postice vero in conum apice rotundatum productum, lateribus fere in $^2/_5$ posterioribus inaequabiliter quidem sinuatis, post partum sescuplo modo longius quam latius, paene ellipticum, postice late truncatum et leviter angulatum (fig. 68). Corpus *epigynae* (fig. 71, 72)

tuber format modice altum, transversum; tuber hoc e partibus duabus compositum est: latera eius et partem anticam paries occupat corneus crassus, cuius margines in apice tuberis sinum fere semicircularem profundum definiunt, in latere tuberis postico inferiore fere paralleli sunt, superius (ventrem versus) inter se appropinquant et denique fere contingunt; sinum apicalem et lateris postici partem, quae restat, pars altera epigynae occupat, paullo inaequalis, postice modice convexa in transversum, ex parte transverse arcuato striata. Margo medius sinus apicalis scapum emittit duplo saltem longiorem quam latiorem, parum latum, apicem versus paullulo dilatatum, apice rotundatum, laevem, retro et paullo deorsum directum, fere rectum aut paullo sursum curvatum, ultra marginem posticum epigynae ab imo adspectae parum aut paullo prominentem.

Cephalothorax umbrino-fulvus aut obscure umbrinus, in sulco partem cephalicam definienti et ad margines partis thoracicae plus minusve infuscatus; pars cephalica nonnunquam insigniter pallidior quam thoracica, dilute fulva. Mandibulae colore partis cephalicae. Maxillae fulvo-umbrinae aut fuligineae, apicem versus pallidiores; labium fuligineum apice pallido. Sternum fuligineum aut nigrum, ornatum antice fasciâ transversâ, in medio saepe interruptâ, et in latere utroque maculis binis, albo-flavidis plus minusve expressis; nonnunquam fere concolor. Palpi et pedes flavo-testacei, rufo-umbrino aut fuligineo annulati; palporum pars tibialis in apice annulo parum lato, nonnunquam parum expresso ornata, pars tarsalis apice insigniter infuscata. Pedes exemplorum obscure coloratorum ita picti: femora anteriora annulo subapicali lato (in pedibus II. interrupto), posteriora maculâ in latere antico ad apicem, III. etiam in latere antico prope medium maculâ parvâ ornata; patellae anteriores infuscatae, in lateribus et in apice colore fuligineo pictae, posteriores apicem versus fuligineae; tibiae prope medium fuligineo maculatae, anteriores in latere postico superiore, posteriores in antico superiore, et apice fuligineo annulatae, anteriores anguste, posteriores latius; tibiae I. etiam annulo subapicali modice expresso ornatae; metatarsi prope medium pallidius, apice obscurius annulati; tarsi apice sat late fuliginei. In exemplis pallide coloratis femora et patellae fere concolores, tibiae apice anguste colore rufo-umbrino tinctae, annuli metatarsales et tarsales distincti.

Abdominis color (fig. 67, 68, 73) insigniter varians, subter magis sibi constans quam supra. Venter fuligineus aut niger, vittâ ornatur mediâ longitudinali, mediocriter latâ, albâ aut flavido-albâ, modice definitâ, ad marginem epigastrii, quod reliquo ventre plus minusve pallidius est, in fasciam transversam dilatatâ, postice mamillas non attingenti et saepe

in fasciam transversam, breviorem quam antica, diffusâ; prope mediam longitudinem venter utrimque maculâ ornatur paullo transversâ, plerumque pure albâ. Mamillae in maculâ sitae nigrâ sat magnâ, quae in utroque margine plerumque punctis albidis binis ornatur. Area ventris obscura in utroque latere vittâ limitatur optime expressâ flavido-albâ, latâ, marginibus parum inaequalibus, posteriora versus sensim angustatâ, antice marginem anticum scutorum pulmonalium, postice mamillas attingenti. Ad hanc vittam latera abdominis colore umbrino aut fuligineo picta sunt, postice quidem plerumque latius quam antice, ceterum autem flavido-alba, modo densissime aequabiliter isabellino reticulata (sive isabellina, dense albo punctata), modo minus dense et inaequabiliter fuligineo reticulata. Dorsi dimidium posterius, usque ad apicem coni, folio occupatur, formâ secundum abdominis formam varianti, antice truncato, a margine antico posteriora versus primo paullo dilatato, tum inaequabiliter angustato, lateribus utrimque lobos 3 obtusos formantibus; partes interiores folii huius pallidiores sunt, colore lateribus abdominis similes (lineolis fuligineis, si adsunt, plerisque transversis), partes laterales vero umbrinae aut fuligineae umbrino punctatae, margines reliquis partibus obscuriores. Partes anteriores dorsi similes sunt lateribus abdominis et partibus interioribus folii postici; spatium folio et apicibus tuberum humeralium interiectum a partibus laterum adiacentibus colore non differt; declivitas vero antica, usque ad apicem tuberum, in exemplis dilute coloratis colore umbrino inaequabiliter ex parte reticulata, in obscuris fuligineo reticulata aut transverse lineata, aream format in lateribus mediocriter aut bene definitam, antice angustatam, ante tubera humeralia fasciâ transversâ pallidâ interruptam aut interdum utrimque usque ad medium fere lineâ crassâ albâ fere transversâ incisam. Spatium mamillis et apici coni postici interiectum, oblongum aut elongatum, obscurius coloratum quam latera, inaequabiliter umbrinum et obsolete albido passim punctatum, aut fuligineum umbrino contaminatum, in lateribus supra saltem colore albido non male definitum.

A *Cyclosis* (areâ oculorum mediorum antice latiore) abdomine oblongo postice in conum producto et supra in tubercula duo elevato, quarum descriptiones novi [1]), differt *C. maderiana* partim scapo epigynae angusto (scapus *C. camelodae* brevis subtriangularis, *C. Oatesii* basi sat latus et sensim angustatus describitur), partim ventris picturâ aliâ.

---

[1]) *Cyclosa camelodes* (Thor.), *C. index* Cambr., *C. turbinata* (Walck.), *C. strangulata* (L. Koch), *C. pellax* (Thor.), *C. Oatesii* (Thor.).

Mangora O. Cambr.

M. acalypha (Walck.).

Aranea acalypha, Walckenaer 1802, Faune Parisienne, v. 2, p. 199.

Vulgaris videtur in insulâ Maderâ.

Epeira Walck.

E. crucifera H. Luc. (Tab. VIII, fig. 88—97).

Epeira crucifera, H. Lucas 1839 in Barker-Webb & Berthelot, Histoire naturelle des îles Canaries. Arachnides, Myriapodes et Thysanoures; p. 42, t. 6, f. 3. — *Epeira lentiginosa*, Blackwall 1862. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 4, p. 378). — *Epeira ruficrus*, Kulcz. 1895 in: E. Schmitz, Arachnidios da Madeira. p. 198 (nomen).

Madera, Porto Santo. Vulgaris videtur.

Mirum in modum variat haec species *picturâ*, imprimis abdominis; exempla nonnulla similia sunt *E. Redii* (Scop.), alia vero *E. dalmaticae* Dolesch. Typica pictura *abdominis* haec mihi videtur (fig. 90, 89): Dorsum „folio" ornatur umbrino aut fuligineo-nigro, longe non totam latitudinem occupanti, vittâ mediâ isabellino-albâ valde inaequali dimidiato, vittis lateralibus quam folium pallidioribus definito. Folium deltoideum fere, prope mamillas truncatum, lateribus anterioribus subito a se discedentibus, angulis lateralibus deletis, lateribus posterioribus in universum modice concavis, postice inter se parallelis, in angulos exsilientes fractis circiter sex, quorum anteriores fere recti sunt, posteriores obtusi et rotundati, minus expressi. Angulorum horum anteriorum saltem crura posteriora anterioribus melius expressa sunt, nigra, albo extrinsecus limbata. Color folii plus minusve inaequalis: pallidius et obscurius umbrinus, aut obscure umbrinus et niger, saepe punctis paucis umbrino-albidis adspersus; colores hi in folii parte posteriore plus minusve manifeste digesti sunt in fascias transversas pallidiores et obscuriores, quae binae angulis illis respondent, in quos fracti sunt folii margines. Vitta media sordide alba, lineâ medianâ plus minusve expressâ, ramulosâ, interruptâ, umbrinâ aut fuligineâ dimidiata, antice late hastata fere angulis posticis crassis et late rotundatis, apice antico nonnunquam abrupto aut etiam dimidiato, maculam includit umbrinam aut fuligineam, elongato-triangulam aut deltoideam marginibus inaequalibus, et ad marginem posticum non procul a lineâ medianâ utrimque punctum fuligineum aut nigrum. Paullo post vitta haec ramum utrimque emittit crassum, foras et paullulo retro directum, apice rotundatum; qui rami spatium paullo latius quam vittae pars antica occupant, et angulo primo posterioris partis folii respondent. Reliqua pars vittae mediae paullo inaequalis, antice pedum femora latitudine aequat aut paullo superat,

posteriora versus in universum paullo angustata, ter aut quater rotundato dilatata, postice plus minusve interrupta et abbreviata. In sinu inter partem anticam vittae mediae et eius ramos transversos folium serie transversâ macularum ornatur parvarum albarum, punctum nigrum includentium, duarum aut quinque. Partes vittarum lateralium, quae cum lateribus anterioribus folii dorsualis contingunt et cum eis saepe plus minusve confusae sunt, anteriora versus et intus directae et angustatae, albae, modo interruptae apicem anticum vittae mediae attingunt, modo abbreviatae sunt, a margine antico abdominis desuper adspecti spatio angusto obscure colorato distinguuntur; postice — paullulo pone humeros abdominis — ramum emittunt intus directum, saepe cum parte hastatâ vittae mediae coniunctum. Partes vittarum lateralium posteriores albae, umbrino dense reticulatae, colore umbrino lineatae et nigro-fuligineo pictae. Pictura umbrina, quae ex fasciculis linearum subtilium, in latera abdominis descendentibus et ibi magis magisque furcatis constat (picturâ simili abdomen multarum aliarum *Epeirarum* ornatur), decussatur et plus minusve occultatur picturâ fuligineâ, vittas formanti obliquas tres aut quatuor, in apicibus angulorum folii initium capientibus, inaequalibus, in latera abdominis descendentibus, ibi dilatatis et denique ex parte — praesertim posterius — confusis, nonnunquam in marginibus dorsi late interruptis. Ventris latera maiore ex parte umbrino-albida, colore nigro-fuligineo picta, qui color plerumque eorum partem posticam exteriorem occupat et in parte anteriore vittam obliquam, intus et retro directam, inaequalem interruptam format; nonnunquam color fuligineus adeo diffusus est, ut tota fere latera occupet, quae tum vittis binis modo obliquis pallidis, modice expressis, antice et prope medium ornantur. Epigastrium sordide cinereum aut colore hoc secundum medium solum tinctum, scuta pulmonalia tum fuliginea aut nigra. Inter epigastrium et mamillas (sed plerumque non usque ad eas ipsas) venter fuligineo-niger, maculis albis quatuor ornatus; harum anteriores transversae, ad epigastrium sitae, inter se spatio non lato distant aut fere contingunt, posteriores laterales, retro et paullo intus directae, oblongae, antice angustae et cum margine exteriore macularum anteriorum saepissime coniunctae. Mamillae umbrinae et fuligineo-nigrae; in earum latere utroque maculae albae parvae binae, anteriores posterioribus maiores.

Formae typicae *pars thoracica* ochroleuca aut sordide mellea, pars cephalica eâ paullo obscurior aut colore rufo paullo suffusa, ambae colore umbrino aut fuligineo aut nigro fere abunde pictae: pars thoracica limbo marginali ornata valde lato in lateribus, posteriora versus paullo angustato, in margine postico plerumque angusto, et vittâ dimidiata an-

gustâ, plus minusve expressâ, postice modo abbreviatâ, modo paullo dilatatâ et cum limbo marginali confusâ; vitta haec in partem cephalicam transgreditur et usque ad oculos extenditur, plus minusve evidenter ex parte in lineolas duas fissa, nonnunquam ad partem obsoleta aut interrupta. Pars cephalica praeterea in lateribus praeruptis, in clypeo, in areâ oculorum totâ, in impressionibus cephalicis colore obscuro picta (in impressionibus cephalicis color saepe inaequalis et minus obscurus); in intervallo oculorum posticorum medii et lateralis initium capit vitta obscura retro et paullo foras directa, antice modice aut parum lata, plus minusve inaequalis, posteriora versus fortiter dilatata, postice cum vittâ impressionem cephalicam occupanti magnam partem confusa. — *Mandibulae* fulvo-umbrinae, prope medium vittâ obliquâ obscuriore parum expressâ ornatae, aut fuligineae margine apicali pallidiore. *Labium* et *maxillae* umbrinae aut nigrae fere, margine apicali albido; *sternum* colore eodem, vittâ ornatum mediâ stramineâ, parum latâ, inaequali, antice et postice abbreviatâ, nonnunquam diffusâ latâ, modice expressâ. *Palpi* et *pedes* sordide pallide mellei aut dilute fulvi; pedes femoribus colore rufo plerumque paullulo suffusis aut fortiter infuscatis, colore umbrino, fuligineo aut nigro annulati; palporum pars femoralis apice anguste infuscata subter et in lateribus, pars patellaris fere tota, subter et in lateribus fortius quam supra, pars tibialis apice sat late obscurius annulata; partis tarsalis dimidium apicale rufo-umbrinum; pedum coxae subter colore obscuro contaminatae et ut trochanteres femoribus plerumque obscuriores; femora I. et II. tota fere colore fuligineo apicem versus fortius suffusa, femora III. apice late annulata et in dimidio basali annulo angustiore, supra interrupto ornata, femora IV. reliquis obscuriora, subter obscuriora quam supra, basi modice late pallida; patellae totae fere obscurae praesertim subter et apicem versus, supra lineis pallidioribus obsolete pictae; tibiae et metatarsi prope medium angustius et in apice late annulata, annulis in tibiis subter melius quam supra expressis, in tibiis IV. subter saepe confusis; tarsi obscuri, basi sat latâ pallidâ.

In varietatibus pallidius coloratis cephalothorax plerumque fulvus, facie et vittâ marginali umbrinis aut badiis; non raro vittae marginales omnino evanescunt et facies modo in margine et inter oculos anticos laterales et medios colore obscuro picta est (cfr. Blackwallii descriptionem *Epeirae lentiginosae*). Palpi exemplorum, quorum cephalothorax vittâ marginali plus minusve expressâ ornatur, plerumque sordide ochroleuci, parte patellari subter et parte tibiali apice subter infuscatâ, parte tarsali subter apicem versus subtestaceâ, pedes fulvo-flavidi, femoribus anterioribus plus minusve laete testaceis, posterioribus flavo-testaceis, posticis basi exceptâ infuscatis.

Frequenter occurrunt exempla cephalothoracae flavo-testaceo picturâ obscurâ omnino carenti aut modo margine laterali partis cephalicae infuscato. Horum palpi pallidius, pedes obscurius fulvo-flavidi, pedum femora omnia colore rufo suffusa, pictura obscurior nulla. Mandibulae exemplorum pallidiorum fulvae aut flavo-testaceae, apice saepe anguste infuscato, „macula basali" saepissime obscure coloratâ. Sterni color inter flavido-umbrinum et pallide fulvum varians, vitta media nonnunquam deleta, saepissime tamen flavo-alba distincta. Maxillarum color idem fere atque sterni, labii paullo obscurior. — Rarissime cephalothorax nigro-fuligineus paene concolor, mandibulae fuligineae intus flavidae, maxillae labium sternum nigro-fuliginea, hoc secundum medium vix pallidius, palpi nigro-fuliginei apice pallidiores, pedum coxae et trochanteres nigro-fuliginea, femora anteriora rubro-testacea basi et apice infuscata, posteriora nigro fuliginea, III. colorem rubrum paullo sentientia, ceterae pedum partes fuligineae, supra pallidiores quam subter, metatarsi prope basim et in dimidio apicali, tarsi basi flavido sat obsolete annulati. — Raro etiam occurrunt exempla cephalothorace et partibus cum eo coniunctis in universum badiis aut latericiis, sterni vittâ pallidâ modice expressâ, pedibus picturâ evidentiori carentibus.

Secundum picturam imprimis abdominis varietates hae distingui possunt:

α) Abdomen similem in modum, atque supra describitur, pictum; cephalothoracis pictura fuliginea et pedum annuli bene expressi. — In insula Maderâ raro occurrere videntur exempla picturâ typicâ ornata, frequentius in ins. Porto Santo. — Plerumque (fig. 89) puncta pallida inter vittae mediae albae partes anticas dilatatas sita plus minusve diffusa sunt et cum unâ alterâve parte vittae mediae aut etiam inter se coniuncta, pars vittae mediae antica cum vittis lateralibus albis confusa, ita, ut fines folii dorsualis et vittae mediae in dorsi dimidio anteriore indistincti evadant et saepe non nisi vestigia picturae, quam supra descripsimus, difficilius cernantur. — Folii dimidium posterius plerumque etiam tunc bene definitum; rarius fasciae transversae fuligineae, quibus vittae laterales ornantur, colore a folio non differunt et huius dentes lineâ obscurâ parum expressâ definiuntur, ita, ut fasciae illae partem folii formare videantur et dorsum folio ornetur totam latitudinem occupanti, marginibus admodum sinuato. Saepius fasciae fuligineae minus expressae sunt quam in formâ typicâ, in vittis dorsi lateralibus tunc fasciculi linearum umbrinarum supra commemorati — utrimque circiter 9 melius distincti conspiciuntur.

In exemplis colore obscuro insignibus abdomen non nisi vestigia picturae typicae praebet: fuligineum est aut nigricans, vitta media al-

bida maculis multis parvis indicata umbrinis, umbrino-albidis, aut — in fundo nigricanti — cinereo-albidis, quarum imprimis eae, quae partibus vittae anticis dilatatis et punctis inter eas sitis respondent, rotundatae sunt et punctum oblongum aut lineolam fuligineam includunt; folii pars posterior plerumque non difficile internoscitur a vittis lateralibus, hae enim in intervallis fasciarum transversarum maculis paucis umbrinis ornantur; pars antica vittarum lateralium plerumque paullo melius quam postica expressa et similem in modum in maculas parvas divulsa atque vittae mediae partes anticae.

Pictura typica multo frequentius quam hunc in modum indistincta fit, si partes eius obscurae debilitantur et denique evanescunt. Nullus limes inter talia exempla et ea, quae varietati β adnumeramus, invenitur.

β) Cephalothoracis et pedum pictura obscura omnino deleta. Sterni vitta media obsoleta aut nulla. Abdomen (fig. 96) ochroleucum aut dilute fulvum, dorso ornato punctis impressis quatuor in trapezium postice latius dispositis, umbrinis, in dimidio posteriore lineis pallide umbrinis longitudinalibus 4 aut 2, anterius inter se ramulis obliquis varium in modum coniunctis, in lateribus autem fasciculis linearum pallide umbrinarum, qui in latera abdominis descendunt et in eorum parte inferiore inter se coniunguntur; venter flavido aut cinereo umbrinus, colore albo ut in formâ typicâ pictus; mamillae fulvae.

γ) Abdominis (fig. 93) dorsum prope marginem anticum maculis ornatum duabus cremeis, plerumque umbrino marginatis, rotundatis aut rotundato-triangularibus, inter se circiter diametro suâ aut minus remotis, parti dilatatae anticae vittae mediae respondentibus. Ceterum varietas haec cum varietate β convenit picturâ obscurâ cephalothoracis pedum abdominis deletâ, nonnunquam tamen vestigia picturae typicae abdominis praebet: cum margine antico macularum cremearum vittae coniunguntur colore similes, minus expressae, parvae, anteriora versus inter se appropinquantes aut coniunctae; vittae hae apici antico vittae mediae albae respondent et, ut in formâ typicâ, maculam umbrinam includunt. Raro color cephalothoracis, pedum, abdominis idem atque formae typicae, exceptâ vittâ abdominis mediâ albâ, quae maximam partem valde obsoleta est.

δ) Cephalothoracis et pedum pictura parum expressa; abdominis dorsum (fig. 92) fulvum modo maculis parvis pallidioribus dense obsitum, modo punctis fuligineis adspersum, aut testaceo-isabellinum, vittâ cremeâ ornatum longitudinali, fuligineo aut umbrino anguste marginatâ, marginibus inaequaliter crenatis, in universum lanceolatâ, circiter duplo angustiore quam cephalothorax, marginem anticum dorsi desuper adspecti attingenti, postice paullo abbreviatâ.

ε) Pictura pedum bene, cephalothoracis parum expressa. Abdominis dorsum (fig. 94) umbrino-cinereum (pallide umbrinum, densissime albido punctatum), in parte anteriore maculis parvis albidis rotundatis aut oblongis, punctum aut lineolam umbrinam includentibus adspersum, in parte posteriore maculâ ornatum aterrimâ, parti posteriori folii respondenti sed formâ paullo aliâ, paullo ante medium dorsum initium capienti, antice rotundatâ et partem cephalicam latitudine aequanti saltem, posteriora versus primo sat fortiter angustatâ, tum aequali latitudine lateribus parum modo undulatis, supra mamillas abbreviatâ, antice et in lateribus anguste albo marginatâ. Vittae obliquae laterales abdominis in dorso modice expressae umbrinae, in lateribus melius evolutae fuligineae. Latera abdominis inferius fuligineo-nigra, parum colore pallidiore contaminata. — Valde similis est haec forma varietati cuidam *Epeirae Redii.*

Cephalothorax feminae 5·1 longus, 4·2 latus; pars cephalica supra palporum insertionem 2·4 lata, anteriora versus primo leviter, tum prope oculos fortius angustata; area oculorum 1·95 lata; in cephalothorace directo desuper adspecto oculi laterales antici cum mediis posticis lineam paene rectam (levissime procurvam) designant et frontis angulos formant paullulum (foras, neque anteriora versus) prominentes; ultra lineam rectam oculis his designatam pars frontis media oculos anticos medios gerens circiter 0·2 mm. prominet, inter oculos anticos medios et laterales frons in arcum latum excisa videtur. Impressiones cephalicae optime evolutae, fovea thoracica oblonga sat profunda, impressione transversâ parum expressâ anterius decussata. Area *oculorum* mediorum antice ca. $^2/_3$ diametri oculi latior quam postice et parum latior quam longior, paullulum convexa; oculi medii antici posticis parum maiores, ab eis parum longius quam diametro et paullo longius quam inter se remoti; intervallum oculorum mediorum posticorum ca. $^3/_4$ diametri aequans. Series oculorum anterior paullulum procurva, posterior modice recurvata, oculi laterales antici mediis posticis subaequales, laterales postici eis paullulum minores, circiter radio remoti; spatium oculis anticis medio et laterali interiectum parum maius quam area oculorum mediorum antice lata, intervallum oculi postici medii et lateralis sescuplo longius quam eiusdem areae latitudo postica. A margine clypei, qui sub oculis mediis sulco recurvato, tuber oculorum horum infra definienti, ornatur, oculi antici medii ca. diametro, laterales paullo longius quam diametro remoti. *Mandibulae* 2·2 longae, paene laeves, sub clypeo paullo geniculatae, armatae in sulci unguicularis margine antico dentibus quatuor inaequalibus, in margine postico dentibus 3 gradatim minoribus, parum inaequalibus. *Pedes* I. 19 mm.,

II. $17^3/_4$, III. $10^1/_2$, IV. $16^3/_4$, anticorum femur 5·3, patella 2·5, tibia 4·5, metatarsus 4·6, tarsus 1·5, pedum II. partes: 5·1, 2·4, 3·9, 3·9, 1·4, III. 3·4, 1·5, 2·1, 2·2, 1·0, IV. 5·5, 2·2, 3·6, 3·7, 1·3 longae. Abunde instructi sunt pedes aculeis numero et situ non parum variantibus, ex. gr. tibiae anteriores supra et in latere postico aculeis plerumque 1.1.1, in latere antico 3 aut 6, subter tibia I. ad latus anticum 5—9, ad posticum 5 aut 6, II. ad latus anticum 5—13, ad posticum 4—9, metatarsi I. subter anterius 9—18, posterius 4—5, II. subter anterius 9—18, posterius 3—7 ornati. *Abdomen* pilis longis dispersis hirsutum, ovis distentum paullo latius quam longius aut parum longius quam latius (exempli dimensi 9 mm., cum cephalothorace 12 mm. longum, 8 latum), ceterum circiter $^1/_5$ aut $^1/_4$ longius quam latius, deltoideum angulis et lateribus rotundatis, aut ovatum antice late rotundato-truncatum, humeris non productis quidem sed semper bene indicatis, plus minusve deplanatum. *Epigyne* corpore in scapum sensim abeunti ita, ut a latere adspecta (fig. 100) processum formet sat gracilem (plus triplo longiorem quam basi crassiorem), retro et deorsum directum, sursum curvatum, apice retro et paullo sursum directo, apicem versus modice inaequabiliter attenuatum; ab imo simulque paullo a fronte visa paullo plus duplo longior quam basi latior, in dimidio basali modice et fere aequabiliter angustata, in apicali vero insigniter inaequalis: primo modice dilatata, tum subito fortius angustata ita, ut fere in $^3/_4$ longitudinis utrimque angulum formet recto paullo minorem, foras et retro directum; reliqua pars epigynae scapus est dimidio aut $^1/_3$ longior quam latior, ovatus aut ellipticus, in medio fere duplo latior quam basi, quam apex „corporis" ca. $^1/_3$ angustior, insigniter concavus subter.

Occurrunt exempla minora: $7^3/_4$ mm. longa, cephalothorace 3, abdomine $5^3/_4$, tibiâ cum patellâ I. 4·6 longâ.

Mas 6—9 mm. longus, cephalothorace 3·3—4·5, abdomine 3·5—4·7 longo. *Cephalothorax* subtiliter reticulatus, sat dense pilosus videtur (exempla nostra detrita sunt), quartâ parte longior quam latior, lateribus partis thoracicae fortiter rotundatis, antice in $^2/_7$ longitudinis fortiter et valde subito angustatus et in sinum profundum utrimque excisus ita, ut hic duplo angustior quam in parte latissimâ evadat; pars cephalica anteriora versus insigniter angustata; series oculorum antica longitudine $^1/_3$ latitudinis cephalothoracis non multo superat; oculi laterales et antici medii ultra marginem cephalothoracis desuper adspecti prominent (laterales antici magis quam postici); frontis margo inter oculos anticos laterales et medios modice excavatus et aequis fere angulis anteriora versus et intus directus. Sulcus medius cephalothoracis longus profundus, antice et postice paullo dilatatus; impressio transversa deest;

impressiones cephalicae ad marginem solum distinctae, profundae sed latae et diffusae. Series *oculorum* anterior levissime, posterior vero fortiter recurvata. Desuper adspecti oculi antici laterales cum posticis mediis lineam designant leviter recurvatam. Area oculorum mediorum antice totâ fere latitudine (non diametro!) oculi latior quam postice et $^1/_6$ latior quam longior. Oculi antici medii inter se et a lateralibus fere sescuplâ diametro, a mediis posticis paullo minus distant; oculi medii postici inter se paullo minus quam diametro remoti spatium occupant ca. $^1/_6$ minus quam quo a posticis lateralibus distant. Clypeus sub oculis mediis fortiter reclinatus, altitudine eorum diametrum fere aequat. *Mandibulae* cephalothorace $3^1/_2$ breviores, paullo reclinatae, tenues, in dorso et in latere exteriore paullo excavatae in longitudinem. *Palporum* pars femoralis brevis: ca. $2^1/_2$ modo longior quam latior, patellaris desuper visa ca. $^1/_4$ longior quam latior, lateribus paullulo rotundatis, prope apicem pari tuberculorum ornata inter se approximatorum et setâ forti longâ paullo flexuosâ instructorum; a latere dorsum partis huius in angulum fractum videtur, crure posteriore leviter convexo, anteriore multo breviore excavato; corpus partis tibialis breve, praesertim supra, ubi multo brevius est quam pars patellaris, in latere exteriore superiore in processum productum sat crassum, multo longiorem quam latiorem, apicem versus attenuatum, summo apice obtusiusculo, quum a parte posticâ exteriore adspicitur; in latere interiore inferiore pars tibialis etiam dilatata est, sed brevius et latius, una cum his processibus duplo fere latior videtur quam pars patellaris. Pars tarsalis (fig. 97) magna, unco basali laminae tarsalis incluso $^4/_5$ longior quam pars femoralis, paullo crassior quam femora antica. Lamina tarsalis oblonga, apice paullo oblique rotundato-acuminato, basi in latere superiore in uncum producta sat gracilem, fortiter et paullo inaequabiliter curvatum, apice obtusiusculum. Bulbi „pars basalis“ maxima, sulcis quibusdam divisa, magnam partem striata, paene aequabiliter modice convexa, latus bulbi superius exterius totum fere occupat et quasi scutum format cum margine alveoli utroque modo in parte basali non longâ contingens, ceterum ab eo sensim discedens, in marginibus: superiore, antico, antico inferiore limbo cinctum corneo crassiusculo convexo, marginem alveoli inferiorem non attingenti sed non procul ab eo truncato. Ex „parte terminali“ bulbi genitalis lamellae duae et processus duo crassiusculi conspiciuntur in apice inferius (fig. 88); alter processuum cum apice limbi commodo commemorati contingit, alter supra eum iacet, lamellae ambae supra processus sitae sunt; processus ambo subaequali longitudine, inferior apice compressus et truncatus, angulo inferiore rotundato, superiore in uncum corneum modice curvatum producto; processus superior usque

ad apicem crassus, apice foras paullo curvato et in dentes diviso duos breves, quorum posterior anteriore longior et magis acutus. Lamellae ambae oblongae, apice obtusae, in transversum curvatae; earum altera in angulum inter limbum corneum, supra commemoratum, et processum superiorem fere impressa, antice concava, altera longior, in fronte prioris sita, cum processu secundo apice contingens, postice concava. *Pedum* I. coxae apice infra ad latus posterius unco forti obtuso deorsum curvato ornatae; pedum femora, quae in feminis subter subinermia sunt, armata infra ad latus posticum in pedibus I. serie aculeorum 3 aut 6 in dimidio basali, in pedibus reliquis vero secundum totam fere longitudinem aculeis fortioribus, in pedibus II. circiter 13, in III. ca. 6, in IV. ca. 11. Tibiae II. crassitudine tibiarum I. fere, basim versus modo in latere anteriore paullulo incrassatae, latere antico itaque in longitudinem levissime concavo, armatae supra aculeis 3 (aut 4), postice 1 (aut 1.1), subter ad latus posticum prope basim 1 forti et 1 modo multo minore modo aequaliter forti, in latere antico denique secundum totam longitudinem aculeis ca. 60 maioribus minoribusque, quorum maximi prope basim supra siti sunt, minimi infra in toto latere antico iacent et apicem versus supra aculeos maiores praevalent. Exempli cephalothorace 4·2 longo pedum I. femur 4·9, patella 2·04, tibia 3·94, metatarsus 3·68, tarsus 1·35, pedum II. partes 4·6, 1·82, 3·13, 3·03, 1·24, III. 3·06, 1·13, 1·68, 1·68, 0·88, IV. 4·4, 1·53, 2·81, 2·92, 1·02 longae. *Abdomen* pilis dispersis hirsutum, desuper visum ovatum antice rotundato truncatum, aut triangulare angulis et lateribus fortiter rotundatis, plus minusve fortiter deplanatum, $^3/_7$ aut $^1/_3$ longius quam latius.

Colore mares multo minus variant quam feminae (fig. 98). Eorum *cephalothorax* fulvus, facie plus minusve colore fuligineo pictâ, in utroque latere vittâ ornatus marginali fuligineâ, latâ, intus fere recte in longitudinem truncatâ. *Pedes* pallidius aut obscurius fulvi; femora IV. basi sat latâ pallidâ exceptâ umbrina aut fuliginea, reliqua prope medium et prope apicem annulis ornata plerumque minus obscuris, subter et in lateribus melius quam supra expressis, saepe inter se confusis (annulus medius femoris III. saepe deletus); patellae colore umbrino et fuligineo inaequabiliter pictae; tibiae I. basi parum latâ pallidâ excepta, II. vero totae fere rufo-umbrinae et obscuriores, subter obscuriores quam supra, pone medium annulo pallidiore parum expresso ornatae; tibiarum posteriorum pars basalis dimidia aut minor dilute flavida, reliqua obscure colorata; metatarsi et tarsi apice angusto excepto saepe toti flavidi, rarius metatarsi annulis binis obscuris ornati. Colorem *abdominis* quod attinet, mares omnes, quos vidi (non multi), similes sunt feminis formae α., picturâ mediocriter aut parum expressâ.

E. Redii (Scop.).

Aranea Redii. Scopoli 1763. Entomolog. Carniolica, p. 394.

In ins. Maderâ et Porto Santo collecta sunt exempla sat multa adulta et iuniora.

E. cucurbitina (Clerck).

Araneus cucurbitinus, Clerck 1757. Svenska spindlar, p. 44.

Ins. Madera: pauca exempla masculina et feminina et non adulta.

E. (Zilla) x-notata (Clerck).

Araneus x-notatus, Clerck 1757. Svenska spindlar, p. 46.

Vulgaris in ins. Maderâ; in ins. Porto Santo captae sunt feminae paucae.

Mimetidae.

Ero C. L. Koch.

E. aphana (Walck.) (Tab. VIII, fig. 77).

Aranea aphana, Walckenaër 1802. Faune Parisienne, v. 2, p. 206.

Femina adulta unica lecta est in ins. Maderâ. — Exemplum hoc picturâ obscurâ cephalothoracis (fig. 77) solito magis evolutâ insigne est: spatium vittis fuligineis partis cephalicae interiectum colore quam vittae ipsae parum pallidiore repletum maculam format magnam rectangulam transversam; vitta cephalothoracis media, postice angusta, anteriora versus sensim dilatata cum margine postico maculae huius late confusa. Ad formam femina haec non differre videtur ab exemplis Europaeis.

Pullus *Eronis* cuiusdam, pallide coloratus, abdomine tuberculis carenti, captus est in insulis Selvages dictis.

Thomisidae.

Misumena Latr.

M. spinifera (Blackw.). (Tab. VIII, fig. 82—84).

Thomisus spinifer, Blackwall 1862. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 3 s., v. 9, p. 370). — *Misumena Clarkii*, Warburton 1892. Spiders from Madeira, (ibid., s. 6, v. 10, p. 219, t. 14, f. 7.8). — *Misumena Clorki*, E. Simon 1897. Arachnides recueillis à l'île Madère par M. A. Fauvel en 1895. (Bullet. Soc. entom. de France. 1897. Nr. 5, p. 112).

Ins. Madera: pauca exempla adulta et iuniora; Porto Santo: pullus unicus.

Feminae *cephalothorax* 3·2—3·6 mm. longus, abdomen formâ varians, anguste aut late ovatum, postice paullo acuminatum, ovis dis-

tentum 5·8—6·8 longum, fere in $^2/_3$ longitudinis latissimum et latitudine ca. $^5/_6$ aut $^7/_9$ longitudinis aequans, post partum in medio fere latissimum, 5—6·2 longum et $^2/_5$ aut $^2/_7$ longius quam latius. Margines superiores *oculorum* anticorum mediorum cum inferioribus anticorum lateralium lineam designant paene rectam; oculorum lateralium anticorum diameter sescuplam diametrum mediorum aequat; area oculorum mediorum postice non totâ diametro oculi latior quam antice et parum latior quam longior; oculi antici medii inter se paullo longius quam a lateralibus, postici medii a lateralibus paullo longius quam inter se remoti. *Pedes* I. exemplorum nostrorum $14^1/_2$—$15^1/_4$ longi sunt; tibiae anteriores subter in utroque latere aculeis 6 aut 10, metatarsi 7 aut 11 armati. *Epigyne* (fig. 84) tuberculo ornatur transverso laevi nitido postice excavato, sive costâ elevatâ, in arcum sat latum recurvum curvatâ; tuberculum hoc antice plerumque bene definitum, postice in utroque latere sulco profundo limitatum, marginem anticum format foveae parvae, profundae, modice definitae, utrimque maculâ parvâ obscurâ (puncto profundius impresso) ornatae, quam tuberculum angustioris. — Non parum similis est epigyne *M. vatiae* (Clerck); in hac tamen tuberculum postice etiam in utroque latere profunde excavatum est; margo eius posticus medius in angulum fractus saepius quam in arcum curvatus. *Misumenae tricuspidatae* (Fabr.) epigyne tuberculo ornatur oblongo aut non evidenter latiore saltem quam longiore, postice similem in modum excavato atque in *M. vatiâ* et *M. spiniferâ*, in utroque latere foveâ limitato profundâ oblongâ.

Area oculorum cremea, quam optime delineavit Cel. C. Warburton l. c., plerumque vittâ transversâ fulvâ aut pro parte umbrinâ ornatur aut adeo repletur, ut restent modo eius margines angusti albi. Dorsum abdominis nonnunquam ornatur angulo sordide violaceo (?), cuius apex paullo incrassatus et modo rotundatus modo truncatus cum margine antico dorsi contingit, crura autem modice crassa et paullo inaequalia, partibus anterioribus laterum abdominis desuper adspecti parallela, modo mediam abdominis longitudinem attingunt, modo breviora sunt. Angulus hic in exemplis in spiritu vini conservatis sensim evanescit.

Mas insigniter differt a feminâ et non parum variat colore et staturâ, 2·9—3·9 mm. longus est, cephalothorace 1·3—1·7 longo, tibiâ cum patellâ I. 2·6—3·2 longâ. Puncta media *oculorum* anticorum mediorum cum marginibus inferioribus lateralium lineam designant paene libratam, area oculorum mediorum postice aeque lata aut perparum angustior quam longior, et circiter radio oculi latior quam antice; ceterum quod oculorum situm attinet, non differt mas a feminâ. Exempli nostri non

detriti unici cephalothorax et abdomen aculeis longis crassis nigris plus minusve erectis ornata; in illo ad declivitatem posticam aculei 6 in arcum recurvatum dispositi, sursum et intus directi, pone oculos posticos laterales et infra eos aculei singuli, ad clypei marginem quatuor, sub oculis mediis unus minor; in dorso abdominis aculei numerosi series longitudinales incompositas circiter 6—10 formant; series, quae totam dorsi longitudinem occupant, ex aculeis ca. 10 constant. Exempli huius *femora* omnia supra aculeis 1.1 ornata, antica etiam in latere antico aculeata (armaturâ mutabili), patellae et tibiae anteriores inermes, posteriores supra aculeatae, metatarsi anteriores apicem versus aculeis paucis instructi, posteriores ut tarsi inermes. *Palpi* (fig. 82, 83) parvi; pars tibialis fere dimidio longior quam latior, lateribus in universum fere parallelis, exteriore leviter angulato, in apice supra aculeo 1, supra prope basim et in latere interiore aculeis minoribus sive pilis crassis ornata; pars tibialis patellari ca. $^1/_3$ brevior, basi eâ angustior, in latere exteriore levius dilatata quam in interiore, quod convexum est, supra et in latere interiore aculeata, apice in latere exteriore in processum producta aeque saltem atque ipsa longum, anteriora versus et paullo foras directum; desuper processus hic rectus videtur, basi cum parte tarsali contingit, apice, qui oblique acuminatus est, ab eâ discedit, a latere adspectus margine superiore leviter sigmoideo (basi concavo, apicem versus convexo), subter a medio fere, ubi plus minusve angulatus est, attenuatus; subter in apice pars tibialis dente brevi, a processu externo remoto ornatur. Pars tarsalis aeque circiter longa atque pars patellaris cum tibiali, paullo plus dimidio longior quam latior; rostrum dimidio bulbo genitali paullo longius. Bulbus genitalis rotundatus, leviter convexus, in apice medio spinâ instructus brevi nigrâ, modice gracili, foras directâ, tum contortâ et foras retro curvatâ. *Abdomen* paene ellipticum, 1·8—2·2 longum, 1·1—1·5 latum, circiter in $^2/_3$ longitudinis latissimum, inde anteriora versus insigniter angustatum, antice leviter truncatum, postice acuminatum.

Quae de *colore* dixit Blackwallius, ea bene quadrant in pleraque exempla nostra; addendum videtur vittam mediam, quâ dorsum abdominis ornatur, latam, pallide fulvam, margines versus praesertim posterius latericiam, ipsum marginem anticum dorsi plerumque non attingere, postice supra mamillas maculam oblongam ochroleucam continere, in parte posticâ lateris utriusque lineis transversis nigris nonnunquam ornari. Nonnunquam vittae mediae pallide fulvae latera anterius obsolete umbrino contaminata sunt, posterius autem paribus ca. 6 macularum umbrinarum rotundatarum, inter se proximarum occupantur. Vittae fuligineae abdominis laterales interdum in dimidio posteriore colore pal-

lido anguste interruptae sunt. Tuberculum anale pallide sordide purpureum albo marginatum; mamillae supremae colore purpureo simili, infimae pallide fulvae, supra colore purpureo suffusae; area mamillarum utrimque lineâ albâ cincta. Pedum anteriorum pallide luteorum apex femorum, dimidium apicale patellarum, tibiarum annulus basalis angustior et apicalis latus, metatarsorum pars apicalis maior — sordide purpurea aut purpureo-fuliginea; tarsi basi late et apice anguste flavidi, ceterum pallide purpurei. — Unius exempli cephalothorax supra subterque, palpi, pedes flavida non maculata, exceptâ areâ oculorum, quae ut in feminâ colore albo picta est; dorsum abdominis vittis occupatur tribus: mediâ flavido-cinereâ, lateralibus ochroleucis; latera abdominis supra vittâ ornantur parum quam vitta media dorsualis obscuriore, postice umbrinâ; ceterum latera et venter straminea, flavido-cinereo reticulata, mamillae pallide luteae.

Xysticus C. L. Koch.

X. insulanus Thor. (Tab. VIII, fig. 85, 86).

Xysticus insulanus, Thorell 1875. Descr. of sever. Eur. a. N.-Afr. Spiders, p. 132. — E. Simon 1883. Études arachnologiques, 14. mém. p. 264, t. 8, f. 1, 2.

Non rarus videtur in ins. Maderâ; Porto Santo: mas unus.

Maris cephalothorax 1·8—2·2 mm. longus. Area *oculorum* mediorum formâ paullo varians, rectangula aut antice paullulum angustior, modo antice modo postice diametro oculi latior quam longior, modo denique non totâ diametro oculi latior quam longior. Clypeus setis 7 fortibus instructus; praeterea *cephalothorax* setis longis fortibus ornatus (in exemplo nostro non detrito unico): inter oculos 8, sub oculis lateralibus binis, in lineâ mediâ cephalothoracis pone oculos 3, inter oculos laterales et declivitatem posticam utrimque 5, ante hanc declivitatem setis 8 in arcum recurvatum dispositis. *Pedum* aculei numero paullo variant: ex. gr. femur I. in latere antico aculeis 7 aut 10 ornatur, tibia I. subter ad latus posticum nonnunquam aculeis 3 (neque 4), metatarsus I. subter plerumque 2.2.2 (nonnunquam praeterea 1 pone basim ad latus anticum), in latere antico 1 aut 2 aut 3, in postico nullo aut 1 aut 2. In exempla nostra descriptio *partium genitalium* (palporum [fig. 86] et epigynae) a Cel. T. Thorellio prolata melius quadrat quam descriptio et figurae Cel. E. Simonii. Processus inferior partis tibialis directo a latere adspectus a basi deorsum et parum anteriora versus directus, paene aequabiliter procurvus, ubique crassitudine aequali, apice paene recte et transverse truncatus angulis rectis; a parte inferiore vero anteriora versus et parum foras directus videtur, paullulo incurvatus apice fere transverse truncatus angulis paullulum prominentibus.

Feminae cephalothorax 2·1—2·9 longus, area *oculorum* rectangula aut antice paullulum angustior, diametro oculi aut paullo plus quam eâ latior quam longior. Setae magnae *cephalothoracis* numero paullo maiores quam in mare, sed paullo mutabiles. *Femora* I. in latere antico aculeis compluribus instructa, tres eorum reliquis fortiores in seriem obliquam dispositi, tibiae I. subter ad latus anticum aculeis plerumque 4, raro 5 aut 6, ad posticum plerumque 3, raro 4 aut 5, metatarsi I. subter utrimque 4, rarius 5, in latere antico 3, rarius 2, postice 1 aut 2 ornati. *Epigyne* (fig. 85) foveis duabus parvis oblongis instructa, antice margine limitatis communi paullo elevato, corneo, nitido, in angulum fracto aut angulato-rotundato; inter se foveae septo distinguuntur angusto, humili, corneo; quae conformatio, paullo varians, non semper facile perspicitur.

X. maderianus n. sp? (Tab. VIII, fig. 80, 81, 87).

Ins. Madera: collecta sunt exempla pauca adulta.

Femina.

Cephalothorax 3·2 mm. longus, 3·0 latus, areâ oculorum 1·95 latâ (aut minor: 2·6 longus), fronte late rotundatâ, dorso a declivitate posticâ anteriora versus modice descendenti et levissime arcuato, dense subtiliter granulatus, subopacus, pilis ornatus inaequalibus, e quibus longissimi plerique a basi usque ad apicem fere aequali crassitudine (nonnulli levissime incrassati, alii leviter attenuati), apice breviter acuminati, brevissime sparse pilosuli; pili reliquis longiores in parte cephalothoracis anticâ siti sunt. Setae ad clypei marginem sitae longiores septem, interiectis quatuor aliis paullulum inferius innatis, modo multo modo parum brevioribus, ita, ut clypeus setis 11 longis ornatus dici possit; setae hae omnes apicem versus longe attenuatae quidem, sed apice ipso breviter acuminatae, pilosulae. *Oculi* postici medii lateralibus minores, hi minores quam laterales antici, medii antici posticis aequales aut paullulum minores; medii postici a lateralibus paullo longius quam inter se remoti; area oculorum mediorum rectangula aut postice perparum latior, non totâ diametro oculi latior quam longior. *Pedum* I. femur 2·5, patella 1·4, tibia 1·8, metatarsus 1·6, tarsus 0·9 longus, femur aculeis 3 instructum, tibia lateribus inermibus (nonnunquam in ipso apice aculeis singulis ornata), subter ad latus anticum aculeis 5, raro 6 aut 4, ad posticum 5, rarius 4 aut 3, metatarsus subter ad latus utrumque aculeis 4 plerumque, praeterea in latere utroque aculeo 1 inter aculeum inferiorem 2-um et 3-um, et in apice antice aculeo 1 instructus; nonnunquam series inferior una alterave ex aculeis 5 constat, latus alterum aut ambo etiam prope aculeos inferiores 1-um et 2-um aculeo singulo

ornata. Reliqua femora supra aculeo 1, tibia II. subter anterius 4 (aut 5), posterius 4 (aut 3), metatarsus II. subter utrimqne aculeis 4 instructus, eius latera similem in modum atque in metatarso I. armaturâ variant. *Abdomen* (post partum) 5 longum, 4·7 latum (aut minus: 4 long.), circiter in $^3/_5$ longitudinis latissimum. *Epigyne* (fig. 87) tuber format ca. 0·5 latum, latius quam longius, antice et in lateribus plerumque melius quam postice definitum, sat fortiter convexum, foveolis duabus ornatum profundis, modice definitis, rotundatis aut oblongis, aeque circiter latis atque septum, quo inter se distinguuntur; hoc in longitudinem convexum, formâ paullo varians, latitudine ubique fere aequali aut basi dilatatum, postice pone foveas paullulum productum, truncatum, supra partes vicinas insigniter elevatum et ab eis optime distinctum. Spatium apici septi et margini epigastrii interiectum sescuplam aut duplam septi longitudinem aequat, foveolis duabus inter se approximatis, parum expressis ornatur.

Cephalothorax vittâ mediâ ornatus albidâ latitudine ubique paene aequali, maculam includenti pallide fulvam, lineis ca. 4 obscurioribus longitudinalibus pictam, posteriora versus rotundato-angustatam, apice lineolam fuligineam, quae in declivitate posticâ supra iacet, non attingentem et obtusam; latera cephalothoracis fulva, plus minusve fuligineo (praesertim postice margines versus) et albido reticulata, postice maculâ albidâ ornata; margo partis thoracicae angustus albidus. Area oculorum et clypeus pallidius et obscurius fulva; tubera oculorum lateralium supra et vitta transversa oculos laterales anticos coniungens, parum expressa, albida. Mandibulae pallide fulvae, basim versus aut etiam apice fuligineo variegatae. Labium fuligineum apice pallidum, maxillae fulvae apice pallidae. Sternum pallide flavido-isabellinum, obsolete badio punctatum, in parte posteriore vittâ mediâ, margines versus vittis utrimque 3 obliquis, pallide badiis, — omnibus nonnunquam vix expressis — ornatum. *Pedum* coxae sterno pallidiores aut ei concolores, subter obsolete obscurius lineatae. Femora albido-fulva, pallidius et obscurius variegata, ad basim aculeorum pallide umbrino maculata, anteriora in dorso vittâ mediâ albidâ et ad eam utrimque vittâ pallide umbrinâ ornata, III. apice plus minusve infuscata, IV. semiannulo latiusculo fuligineo picta. Reliquae pedum partes femoribus paullulo obscuriores, patellae et tibiae anteriores supra lineis binis pallide umbrinis ornatae; patellae IV. apice in latere postico fuligineo maculatae, tibiae IV. basi apiceque semiannulo fuligineo pictae, pedum III. pictura similis, minus expressa. *Abdominis* area dorsualis fulva aut avellanea totum fere dorsum occupat; margines eius parum inaequales, punctis et maculis fuligineis paucis ornati, praesertim postice ad vittae mediae pallidae apicem utrimque; vitta

media pallida, quâ *Xystici* ornari solent, modice aut parum expressa, avellaneo-aut isabellino-albida (ut dorsi margines et latera abdominis), dentata: dentium par primum in mediâ dorsi longitudine iacet (in exemplis, quae ova deposuerant), ab eorum apicibus vitta anteriora versus paene aequabiliter angustior fit, in eorum margine postico plerumque puncta fuliginea 2 aut 4 conspiciuntur; par dentium secundum aeque latum atque 1-um aut lineolis transversis albidis auctum; dentes posteriores minores, utrimque ca. 3. Venter albido-fulvus et fulvo-albidus, picturâ evidentiori caret.

Haec pictura ordinaria videtur. Habemus tamen ante aculeos exemplum multo obscurius coloratum: feminam aetate confectam. Huius latera cephalothoracis maximam partem fuliginea sunt, parce fulvo reticulata, postice maculâ albâ ornata; macula partis cephalicae cuneata cum lineolâ obscurâ in declivitate posticâ supra sitâ coniungitur, ita, ut apicem versus sinuato-acuminata, apice acutissima evadat. Pedes abunde fuligineo punctati et maculati, femora anteriora infra colore fuligineo late suffusa et lineâ mediâ albidâ ornata, in latere postico vittâ nigrâ fere, longâ obliquâ picta; tibiae I. maximam partem fuligineae, tibiae II. eis non multo pallidiores; abdominis area dorsualis fuliginea fere, vitta media umbrina.

Mas.

Cephalothorax 1·9 mm. longus, 1·8 latus, fronte 1·05 latâ, recte fere truncatâ; pili cephalothoracis — pauci, qui adsunt in exemplis nostris detritis — apicem versus paene aequabiliter attenuati (pilis prope oculos laterales sitis fortasse exceptis, qui simili formâ videntur atque in feminâ). Setae in clypei margine 7. Area *oculorum* mediorum radio oculi tantum latior postice quam longior *Palporum* (fig. 80, 81) pars patellaris paullo longior quam latior, lateribus parallelis; pars tibialis eâ paullo brevior, latior (processibus exclusis) quam longior, apice in latere exteriore supra in processum producta anteriora versus et foras et parum deorsum directum, quam pars ipsa paullo breviorem, qui a parte tarsali nusquam discedit, desuper adspectus longior quam latior, leviter foras curvatus, paene aequabiliter attenuatus, modice acutus, a latere exteriore autem paullo latior, modice deorsum curvatus, paene aequabiliter attenuatus, apice oblique rotundato-truncatus videtur. Processus inferior partis tibialis ab exteriore sinu lato, basi rotundato distinctus, basi deorsum fere directus, tum anteriora versus et paullo foras curvatus, triqueter, pariete inferiore interiore convexo, inferiore exteriore excavato, margine inferiore obtuso, interiore modice acuto, exteriore in carinam compresso tenuem; apice oblique truncatus est processus hic et inaequalis, ita, ut margo inferior reliquis brevior, margo interior, qui

apice in uncum minutum crassiusculum, intus curvatum productus est, reliquis longior evadat. Processus hic directo a latere exteriore adspectus fere aequabiliter procurvus videtur, lateribus paene parallelis, apice paullo oblique truncato, leviter exciso, angulis rotundatis, eorum inferiore paullo longius quam superior producto. Lamina tarsalis ca. $^2/_5$ longior quam latior, desuper visa subovata, paullo asymmetrica, ad apicem processus tibialis externi non nisi obsolete angulata (reverâ hic in angulum acutum deorsum directum producta). Bulbus genitalis processibus duobus ornatus in parte posticâ interiore; processus anterior non procul a lineâ medianâ bulbo innatus est, gracilis, paene teres, apice sensim attenuatus, ceterum crassitudine aequali, deorsum anteriora versus et paullo foras directus, hamulo piscario similis, apice intus deorsum retro directo; alter processus margini bulbi postico interiori propinquus, multo brevior et basi latior, a basi sat cito angustatus, intus et parum deorsum et anteriora versus directus, curvatus, apice acuto anteriora versus et paullo foras directo. *Pedum* I. femur 1·8, patella 0·85, tibia 1·3, metatarsus 1·3, tarsus 0·75 longus; femur I. in latere antico aculeis 4 aut 3, supra plerumque 2, reliqua femora supra 3 aut 4 aut 2, tibia I. subter utrimque 4, rarissime antice 5 aut postice 3 ornata, ceterum inermis; metatarsus I. et II. subter utrimque aculeis 3 (rarissime anterius 4), antice in apice 1, in latere utroque inter aculeum inferiorem 1-um et 2-um aculeo 1, tibia II. subter utrimque 4 (aut postice 3) instructa. *Abdomen* 2·0 longum, 1·6 latum, ovatum postice latius, antice rotundato-truncatum.

Color varians. *Cephalothoracis* latera fuliginea fulvo aut fulvo-albido plus minusve reticulata, in universum fuliginea aut umbrina; summus margo partis thoracicae posterius saltem albus; vitta media albida optime expressa, mediocri latitudine, posteriora versus sat fortiter et paene aequabiliter angustata, rarius prope medium non fortiter quidem, evidentissime tamen coarctata; macula cuneata partis cephalicae similem in modum atque in feminâ varians, lateribus (si apice acuta est) modo parum modo evidenter sinuatis; eius color in universum castaneus fere aut avellaneo non multo obscurior; fascia albida transversa in areâ oculorum plerumque parum expressa. *Mandibulae* pallide avellaneae basim et apicem versus umbrino maculatae, aut fuligineae prope medium vittâ transversâ plus minusve inaequali et interruptâ fulvo-albidâ ornatae et apice colore eodem pictae. *Pedum* anteriorum femora pallide fulva aut fulvo-albida, dorso pallidius aut obscurius fuligineo, lineâ longitudinali albidâ plerumque parum expressâ picto, apice semiannulo fuligineo ornata, in lateribus et subter punctis fuligineis maioribus minoribusque plus minusve abunde picta, subter nonnunquam lineâ albidâ

modice expressâ, in latere postico vittâ fuligineâ longitudinali paullo obliquâ abbreviatâ ornata; patellae fulvae aut umbrinae et fuligineae, subter pallidiores, supra lineâ albidâ modice expressâ et ad eam utrimque vittâ obscurâ notatae; tibiae pallidius aut obscurius fulvae, supra ut patellae lineatae, basi apiceque plus minusve infuscatae praesertim antice; tarsi ochroleuci, metatarsi eis modo parum modo evidenter obscuriores, pallide fulvi. Pedes posteriores ab anticis in universum colore parum differunt, paullo pallidiores, femoribus supra non totis obscuris sed semiannulo apicali et plerumque maculâ mediâ, fuligineis ornatis, ceterum inaequabiliter obscure punctatis; patellae et tibiae basi apiceque fuligineo maculatae, tibiae supra plus minusve evidenter albo lineatae, metatarsi summo apice fuligineo. Area dorsualis *abdominis* marginibus parum inaequalibus, avellanea umbrina aut castanea, punctis inaequalibus fuligineis adspersa praesertim ad vittam mediam: ad marginem anticum abdominis et ad marginem posticum dentis antici vittae mediae et in parte postremâ areae; vitta media cinereo-albida in exemplis pallidis, colore badio maximam partem suffusa in obscuris, punctis fuligineis inaequalibus contaminata, modice distincta.

A *Xystico Verneaui*, quem secundum feminam unicam in insulis Canariis lectam descripsit Cel. E. Simon [1]), non differre videtur *Xysticus maderianus* nisi septo epigynae postice truncato, neque lanceolato. An re verâ species propria?

Philodromus Walck.

Philodromi mihi ignoti, colore *Ph. vulgari* (Hentz) Americam septentrionalem incolenti quodammodo similis, pulli pauci collecti sunt in insulâ Maderâ.

Thanatus C. L. Koch.

Th. vulgaris E. Sim.

Thanatus vulgaris, E. Simon 1870. Aranéides nouv. ou peu connus du Midi de l'Europe (Mém. Soc. Roy. d. Sciences Liège), p. 328.

Ins. Madera et Porto Santo; lecta sunt exempla sat multa, adulta et iuniora.

Exempla Maderiana *Thanati vulgaris* non parum variant staturâ et colore; feminae 4—8 mm. longae, mares 4—4$^1/_2$ mm., illarum cephalothorax 1·7—2·7, horum 2·1—2·4 longus. Feminae, quae reliquis pallidius colorata est, cephalothorax cum pedibus melleus fere, vittis la-

---

[1]) Études arachnologiques, 14-e mém. (Ann. Soc. entom. de France, s. 6, v. 3) p. 287, t. 8, f. 13.

teralibus fulvis, maculâ cephalicâ cuneatâ fere omnino deletâ, exceptâ parte postremâ fulvâ, pedes punctis umbrinis inaequalibus non dense adspersi; abdominis dorsum ochroleucum (cremeum melleo reticulatum), vitta antica lanceolata pallidior quam cephalothorax, punctis minutis fulvis adspersa, pone medium dorsum non producta; areae dorsualis obscurae vestigia modo restant in dorsi parte posticâ ab apice vittae mediae longe remota, e vittis constantia duabus obliquis, postice coniunctis, perparum expressis, pallide melleis, serie punctorum fulvorum ornatis. — Exemplorum obscure coloratorum pars media cephalothoracis fulva, vittae laterales umbrinae, maculae cephalicae cuneatae pars dimidia posterior umbrina quoque, paullo pallidior, pars anterior perparum expressa; pedes pallide fulvi, femoribus anterioribus saltem vittis tribus (supra et in utroque latere subter) umbrinis modice definitis pictis, patellis supra lineis pallide umbrinis duabus ornatis et in utroque latere magnam partem umbrinis, tibiis basi praesertim antice umbrinis; abdominis dorsum in universum cinereo-flavidum, vitta lanceolata nigro-fuliginea, in medio et in dimidio posteriore leviter rotundato dilatata, in dorsi dimidium posterius non parum producta, hic angustissima, fuliginea. Paullo pone medium vittae huius, ab eius marginibus parum remotae, initium capiunt vittae in longitudinem directae, postice inter se coniunctae, anterius umbrinae, posterius fuligineae, insigniter inaequales; area e vittis his formata, in lineam parum latam, nonnunquam interruptam contracta, mamillas attingit. Latera abdominis maculis et punctis picta umbrinis aut fuligineis, praesertim posterius in vittas obliquas congestis.

Epigynae omnium fere exemplorum nostrorum „signum coitus" praebent: lamellam tenuem pellucidam, plerumque totam foveam epigynae tegentem.

Ut in exemplis Croaticis et Hungaricis, quae olim[1]) *Thanato vulgari* subiunxi (nonne recte?), tibia IV. marium in insulis Maderianis collectorum cephalothoracem longitudine aequat solum, neque superat.

Th. oblongiusculus (H. Luc.). (Tab. IX, fig. 107).

Philodromus oblongiusculus. H. Lucas 1849. Explor. scientif. de l'Algérie. Zoologie III, p. 200, t. 11, f. 8.

Ad *Thanatum* potius quam ad *Tibellum* referenda fortasse est haec species. Oculus medius posticus a laterali antico alterius lateris sescuplo longius distat quam ab oculo laterali postico eiusdem lateris; cephalothorax vix $^1/_9$ longior est quam latior (in *Tibello oblongo* (Walck.) cir-

[1]) Araneae Hungariae, vol. 1, p. 113.

citer $^1/_4$ longior); epigyne similis atque in *Thanatis*. Pedes II. tamen non parum pedes IV. longitudine superant.

Epigyne (fig. 107) tuber format mediocriter definitum, paene ellipticum transversum, foveâ ornatum paullo latiore quam longiore, in lateribus rotundatâ, sat profundâ. Margines laterales foveae acuti sunt et elevati, antice occultantur margine dilatato septi medii; hoc latum et ubique latitudine fere aequali, antice solum dilatatum, magnam partem humilius quam margines laterales foveae; antice tamen margines partis dilatatae septi, tenues et pellucidi, paullo elevati sunt et ex foveâ anteriora versus excedunt. Forma septi paullo mutabilis; nonnunquam margines eius antici acuti in eius partem in foveâ sitam producti et inter se appropinquantes triangulum includunt evidenter supra reliquas partes septi elevatum; saepius margines hi in parte septi in foveâ ipsâ sitâ sensim evanescunt, septi superficies tum parum inaequalis est.

Clubionidae.

Clubiona Latr.

Cl. decora Blackw. (Tab. VIII, fig. 101—104: tab. IX, fig. 105, 106).

Clubiona decora Blackwall 1859. Descript. cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 4, p. 256). — Warburton 1892. Spiders from Madeira. (ibid., s. 6, v. 10, p. 223, t. 14, f. 10).

Ins. Madera et Porto Santo; lecta sunt exempla non multa, adulta et iuniora.

Cephalothorax marium in insulis Maderianis collectorum 1·7—2·0 mm. longus est; *oculi* antici medii inter se paullo longius quam a lateralibus, medii postici a lateralibus insigniter minus quam inter se distant. *Mandibulae* sub clypeo parum (in exemplis parvis) aut modice (in magnis) convexae, leviter angulosae, apice excepto modice nitidae, non carinatae. *Palporum* (fig. 105) pars tibialis aeque circiter longa atque patellaris, insigniter longior quam apice latior, a basi apicem versus sat fortiter et paene aequabiliter dilatata, margine apicali externo in dentem dilatato parvum, subtriangularem, multo breviorem quam pars ipsa lata est, anteriora versus et paullo foras directum, apice appendiculâ gracillimâ, anteriora versus et paullo foras directâ ornatum. Lamina tarsalis fasciculo pilorum nigrorum ornata, mediam suam longitudinem attingenti aut paullo longiore.

Feminarum *cephalothorax* 1·6—2·2 longus; *oculi* antici medii inter se fere non longius quam a lateralibus remoti. *Tibiarum* armatura mutabilis; tibiae III. subter plerumque aculeo 1 instructae, nonnunquam

nullo; tibiae I. subter plerumque ad latus anticum solum aculeo 1 prope medium, raro etiam ad basim 1, rarissime subter aculeis 2.2, tibiae II. plerumque basi ad latus posticum 1 et prope medium 2, rarius 2.2 prope basim et prope medium, rarissime prope medium solum aculeis 2 instructae. Tibiae I. in latere utroque infra pilis crassiusculis confertis adpressis, in tractus mediocri latitudine congestis instructae, tibiae II. similem in modum, in latere antico saltem ornatae; ornamentum hoc, in feminis notabile, in maribus parum conspicuum.

Cephalothorax margine concolore, sternum coxis non obscurius. Abdominis *pictura* variabilis; vitta media modo totam longitudinem occupat, in dimidio posteriore in maculas divulsa, modo adeo deleta, ut restet dimidii anterioris pars posterior sola; latera abdominis modo secundum totam longitudinem umbrina, in dorsum — paullo ante eius medium — dentem emittunt latum triangularem et in dimidio posteriore vittas angustas obliquas utrimque 3; modo color fuscus partem posteriorem laterum solam ornat et vittae obscurae in dorsi lateribus plus minusve obsoletae sunt. Venter picturâ evidentiori caret.

Exempla femina *Clubionae decorae* a Dre Ph. Bertkau ad Bonnam lecta et mecum communicata differunt paullo ab exemplis Maderianis: tibiis I. subter inermibus, II. subter ad latus posticum modo aculeis 1.1 ornatis, picturâ abdominis, cuius dorsum in dimidio posteriore angulis fuligineis tenuibus aut in medio incrassatis ornatur, in lateribus autem praesertim posterius, ut latera abdominis, punctis fuligineis pictum est vittas obliquas evidentiores non formantibus; venter vittis duabus longitudinalibus fuligineis pictus. Maris ad Bonnam lecti tibiae I. subter ad latus anticum aculeo 1, II. subter aculeis 1.2 ornantur, palporum pars tibialis (fig. 104) brevior, dens eius appendiculâ, quam supra commemoravimus, caret (num defracta?).

Clubiona decora etiam Galliam meridionalem incolore videtur; huic speciei subiungendus mihi videtur mas a Cel. Dre G. Horváth ad Perols lectus, in quem descriptio *Clubionae parvulae* H. Luc. a Cel. E. Simonio prolata [1]) sat bene quadrat. Maris huius cephalothorax 2 mm. longus est, mandibulae valde crassae, sub clypeo fortiter geniculato-convexae, dorso in latere interiore secundum totam fere longitudinem carinâ bene expressâ ornato, palporum pars tibialis (fig. 101, 103) insigniter brevior quam pars patellaris, non longior saltem quam apice latior, processus tibialis crassior quam in exemplis Maderianis, apicem versus paullo foras flexus (hac in re exemplum hoc Gallicum melius cum descriptione *Cl. stigmaticae* E. Sim. l. c. convenit), apice appendice

[1]) Les Arachnides de France, v. 4, p. 235.

subtilissimâ ornatus; fasciculus pilorum brevior quam in exemplis Maderianis, dimidiam laminam tarsalem non attingit[1]), tibiae anteriores ut in exemplo masculino Bonnensi armatae.

Propter mutabilitatem armaturae pedum, coloris, palporum maris in *Clubiona decorâ* ulterius inquirendum videtur, quibus rebus ab hac specie et inter se differant: *Cl. lusatica* L. Koch, *Cl. clandestina* Menge, *Cl. stigmatica* E. Sim.

Chiracanthium C. L. Koch.

Ch. pelasgicum (C. L. Koch).

Bolyphantes pelasgicus, C. L. Koch 1837. Übersicht d. Arachn.-Systems I, p. 9.

Sat multa exempla, inter ea mares et feminae adultae, collecta sunt in ins. Maderâ et Porto Santo.

Ch. albidulum (Blackw.). (Tab. IX, fig. 108—110).

Clubiona albidula, Blackwall 1859. Descript. cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 4, p. 255). — *Chiracanthium Fauveli*, E. Simon 1897. Arachnides recueillis à l'île Madère par M. A. Fauvel en 1896. (Bullet. Soc. entomol. de France, 1897. Nr. 5, p. 112).

Madera, Porto Santo.

Species insignis *pedibus* solito uberius aculeatis. Feminae femora I. et II. aculeo 1 in dimidio apicali lateris antici, III. et IV. in utroque latere apicem versus armata, praeterea omnia fortasse in dorso serie pilorum crassorum et longorum instructa (pili hi in exemplis nostris fere omnes detracti sunt); tibiae I. antice aculeis singulis in dimidio basali et in apicali, subter 2.2 prope basim et prope medium, postice 1 in dimidio apicali, tibiae II. in latere antico et subter ad latus posticum aculeis 1.1, subter ad latus anticum 1 aut 0, in latere postico 0 aut 3, III. in latere antico 1, in postico 1 aut 1.1, IV. antice 2 aut 1 aut 0, postice 1.1.1 aut 1.1 aut 1, subter 0 aut 1 aut 2, metatarsi omnes in latere utroque supra 1.1.1, praeterea anteriores subter 2.2.1 et ad apicem in latere postico 1, III. ad basim subter 2, ad apicem subter et in latere utroque 1, IV. subter prope basim et prope medium 2.2, prope apicem ut III. aculeati. Aculei plerique longi. Maris armatura similis; femur IV. raro in latere postico solum aculeatum, tibia I. in latere postico aculeis 1.1, tibia II. in latere antico 1.1, subter 2.2 aut 2.1, postice 1.1 aut 1, III. et IV. utrimque 1.1 aut antice 1, subter tibiae III. modo 0 modo prope basim 1, IV. prope basim 1 aut 2 et prope medium 1, metatarsi III. subter aculeis, praeter apicales, 2.2 instructi.

---

[1]) Cfr. figuram 106, secundum marem *Cl. decorae* in Austria inferiore a B. Kotula lectum delineatam.

Maris *mandibulae* paullulum aut sat fortiter proiectae, formâ vulgari, basi aequabiliter convexae, apice non incrassatae; sulcus unguicularis in margine postico supra dentibus duobus inter se approximatis ornatus. *Palporum* (fig. 109, 110) pars tibialis dimidio saltem longior quam patellaris, latitudine suâ duplo et dimidio at triplo longior, in apicis latere exteriore processu ornata dimidiam suam longitudinem circiter aequanti, anteriora versus et paullo deorsum et foras directo, quum a latere adspicitur, subrecto, desuper viso bis curvato: pone basim anteriora versus, apicem versus autem subito et sat fortiter foras, a basi usque ad apicem paene aequabiliter attenuato, apice non inciso, omnium brevissime deorsum et anteriora versus inflexo. Lamina tarsalis duplo longior (calcari excepto) quam latior, a latere interiore visa non multo brevior quam pars patellaris cum tibiali, desuper visa latere interiore fere aequabiliter et modice arcuato, latere exteriore pone medium in angulum modice aut parum manifestum fracto, inter angulum hunc et basim calcaris convexo, ab angulo usque ad apicem fere recto (levissime modo sigmoideo). Calcar tarsale mediam partem tibialem non attingit, a basi retro et paullo foras et parum deorsum directum, paullo post fortius deorsum, fere angulato curvatum, inde usque ad partem apicalem, quae uncum anteriora versus deorsum et paullo foras directum format, non deorsum sed levissime sursum curvatum et non attenuatum. Rostrum laminae tarsalis bulbo genitali plus duplo brevius, a latere visum subter leviter aequabiliter convexum, dentem non format. Bulbus genitalis fere $^1/_3$ longior quam latior, ab imo visus ovatus, fere symmetricus, margine in parte anticâ interiore modo paullo inaequali. Embolus longus et gracilis valde, initium capit in parte bulbi anticâ exteriore, bulbum in latere exteriore, postico, interiore cingit, sub rostri parte interiore — quae solito densius pilosa est — finitur anteriora versus et paullo foras directus, a corpore bulbi paullo remotus.

Epigyne foveâ profundâ ornatur rotundatâ aut leviter transversâ, antice et in lateribus marginibus acutis definitâ; fovea haec modo (ante partum?) ad ipsum fere marginem posticum epigynae sita est, margo eius posticus tum insigniter humilior antico, modo (post partum?) fovea a margine postico epigynae dimidiâ suâ longitudine saltem distat et margo eius posticus parum aut non depressus est.

Variat haec species *staturâ*. Feminae nostrae minimae cephalothorax 3·1, abdomen 4·8, pedes I. 13 longi sunt, femore 3·3, patellâ 1·4, tibiâ 3·2, metatarso 3·2, tarso 1·3 longo, pedum II. patella 1·2, tibia 2·1, pedes IV. 10·2, eorum femur 2·6, patella 1·1, tibia 2·3, metatarsus 2·7, tarsus 0·85 longus; feminae maximae cephal. 5·1, abdomen (post partum) 6·8, pedes I. 19·0, eorum fem. 4·9, pat. 2·0, tib. 4·8, met. 4·8,

tars. 1·7, pedum II. pat. 1·7, tib. 3·4, pedes IV. 15·4, eorum fem. 4·0, pat. 1·6, tib. 3·5, met. 4·2, tars. 1·1 longus. Maris minimi: ceph. 2·7, abd. 3·0, pedum I. fem. 3·3, pat. 1·3, tib. 3·7, met. 3·8, tars. 1·6, ped. II. pat. 1·1, tib. 2·35, ped. IV. fem. 2·8, pat. 1·05, tib. 2·5, met. 2·8, tars. 0·9, maris maximi ceph. 3·5, abd. 4·3, ped. I. fem. 4·0, pat. 1·7, tib. 4·3, met. 4·4, tars. 1·9, ped. II. pat. 1·3, tib. 2·8, pedum IV. fem. 3·2, pat. 1·2, tib. 2·95, met. 3·4, tars. 1·0 longus.

Maris varietas.

Calcar laminae tarsalis apice deorsum et parum retro et paullo foras directum, neque in uncum curvatum (tab. IV, fig. 108).

Varietas haec in insulâ Porto Santo solâ occurrere videtur.

Mesiotelus E. Sim.

M. maderianus n. sp. (Tab. IX, fig. 112, 113).

Speciei huius exempla duo modo vidi, in ins. Maderâ lecta: marem non adultum et feminam adultam, quae palpos et pedes omnes perdidit.

Exempli non adulti *cephalothorax* 2·0 mm. longus, 1·5 latus, supra palporum basim 0·95 latus, areâ oculorum 0·6 latâ. Series *oculorum* posterior paullulum recurvata, oculi medii paullulum oblongi, posteriora versus a se subito discedentes, inter se diametro maiore, a lateralibus, qui paullulo maiores sunt, et a mediis anticis diametro minore remoti; series anterior fere recta (perparum procurva), oculi medii posticis mediis subaequales, paullo plus quam radio remoti, laterales elliptici reliquis oculis omnibus paullo maiores, mediis valde approximati. Oculi laterales postici circiter $^2/_3$ diametri ab anticis remoti. Clypei altitudo sub oculis lateralibus et mediis horum radio maior. *Mandibulae* tarsos II. longitudine aequant, sub clypeo leviter convexae sunt, apice intus sat longe oblique truncatae, in angulo (antice) dente uno minore, in margine apicali postice et antice dentibus binis fortibus, inter se remotis ornatae, paene laeves, nitidae. *Maxillae* impressione evidentiori carent, in latere exteriore a basi usque ad $^2/_5$ longitudinis modice dilatatae, hic obtuse angulatae, inde anteriora versus primo sat fortiter angustatae, tum parallelae, angulo apicali late rotundato; latera eorum interiora a labio anteriora versus inter se primo parallela, tum oblique truncata. *Labium* duplo circiter brevius quam maxillae, vix latius quam longius, apice late truncatum et rotundatum. *Sternum* fere 1·2 longum et 1·0 latum, inter coxas IV. paullo productum, laeve nitidum. *Palporum* pars femoralis supra aculeis 1.1, partes tibialis et tarsalis aculeis pluribus instructae. *Pedum* anteriorum tibiae metatarsi tarsi in utroque latere sub-

ter aculeis numerosis confertis gracilibus longis ornata, tibiae subter aculeis fortibus 2.2, metatarsi aculeis 2 armati. Pedum I. femur 1·9, patella 1·1, tibia 1·7, metatarsus 1·5, tarsus 0·9, pedum II. partes: 1·7, 0·9, 1·5, 1·3, 0·8, pedum III. 1·5, 0·75, 1·2, 1·4, 0·75, IV: 2·4, 1·0, 2·0, 2·3, 1·0 longae. *Abdomen* 2·0 longum, 1·2 latum. *Mamillae* infimae inter se contingunt, sescuplo longiores quam latiores sunt, apicem versus paullulum angustatae, supremis longiores et crassiores; mamillae mediae cylindratae videntur (?).

Cephalothorax pallide fulvus, marginibus lateralibus latiusculis nigris, vittâ utrimque ornatus fuligineâ, valde inaequali, parum definitâ praesertim supra, a margine circiter femorum latitudine et minus quam a lineâ medianâ distanti, antice in partem cephalicam parum productâ, postice lineâ obliquâ a parte posticâ sulci medii coxas IV. versus directâ ita finitâ, ut restet pars postrema cephalothoracis sat magna triangularis immaculata et margine nigro carens. Mandibulae cephalothorace parum pallidiores; maxillae, labium, sternum, palpi, coxae pedum ochroleuca fere, pedes fulvo-ochracei, anteriores posterioribus paullo obscuriores et femoribus et tibiis paullulum infuscatis. *Abdomen* humefactum supra cinerascenti-fuligineum, in mediâ fere longitudine pari macularum parvarum ochroleucarum, inter se fere contingentium, antice 'pari vittarum paullo minus laetarum, longitudinalium, leviter incurvatarum, circiter $^1/_5$ longitudinis occupantium, ornatum; dimidium dorsi posterius colore avellaneo ita pictum, ut restent anguli fuliginei circiter quinque, maiorem partem latitudinis dorsi occupantes, gradatim minores, quorum anteriores saltem in medio et in apice leviter incrassati sunt; latera versus et supra mamillas pars haec dorsi obscure colorata est. Latera abdominis parum pallidiora quam dorsum, obsolete umbrino-cinereo maculata; venter flavido-cinereus, latera versus et postice colore fuligineo insigniter suffusus; mamillae et tuberculum anale ochroleuca.

Cephalothorax supra, pedes maximam partem, abdomen supra subterque pilis longis plumatis dense tecta; abdomen desiccatum cinereo-umbrinum, picturâ evidentiori caret. Sterni pili, pauci qui in exemplo nostro adsunt, simplices videntur.

Feminae adultae *cephalothorax* 2·6 mm. longus, 2·1 latus, supra basim palporum 1·35 latus, areâ *oculorum* 0·90 latâ. *Oculi* paullo longius inter se distant quam in exemplo iuniore: postici medii non solum inter se sed etiam a lateralibus paullulo plus quam diametro suâ maiore; seriei anticae, quae evidenter procurva est, oculi medii inter se ca. $^3/_4$ diametri, a lateralibus ca. $^1/_4$ diametri remoti; laterales postici ab anticis fere diametro distant. Clypeus altitudine ca. $^3/_4$ diametri oculorum mediorum aequat. *Mandibulae* 1·1 longae, *sternum* 1·5 longum, 1·3

latum. *Epigyne* (fig. 112) antice tuberculo corneo parvo, postice excavato instructa, postice utrimque costâ ornata latâ corneâ, aequis fere angulis intus et retro directâ, leviter incurvatâ; spatium apicibus posticis costarum harum interiectum earum longitudine circiter triplo minus; area tuberculo et costis definita glabra nitida, pallida, laevis fere, sulcis evidentioribus saltem carens, costis inclusis aeque fere lata atque longa, antice angusta, posteriora versus primo leviter, tum fortiter et rotundato dilatata, maximam partem (marginibus latiusculis partis dilatatae, in fronte costarum sitis, exceptis) in transversum leviter (antice fortius) excavata; foveis evidentioribus caret epigyne.

Exempli huius maxillae rufo-umbrinae, labium rufo-fuligineum, apice pallidum; color dorsi *abdominis* (fig. 113) dominans avellaneus, pictura umbrina: dimidium anterius vittâ ornatur mediâ, mediocri et inaequali latitudine, et fasciâ transversâ, in lateribus valde latâ, vittam mediam versus subito angustatâ, cum vittâ hac circiter in $^1/_3$ abdominis coniunctâ; ceterum dorsum fasciis ornatur transversis similibus atque in exemplo non adulto, sed totam dorsi latitudinem occupantibus.

E Mesiotelis ad hoc tempus descriptis *M. annulipes* (Kulcz.)[1]) et *M. alexandrinus* (E. Sim.)[2]) soli vittis obscure coloratis in cephalothorace ornati videntur. *M. annulipes* differt a *M. maderiano* vittis eis cum margine cephalothoracis contingentibus, epigynae formâ longe aliâ, cet.; *M. alexandrini* abdomen cinereum, postice sensim infuscatum, series oculorum antica omnino recta describitur.

M. virgulatus (Blackw.)?

? *Clubiona virgulata*, Blackwall 1859. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist. s. 3, v. 4, p. 257). — ? *Cheiracanthium tenuissimum*, L. Koch 1866. Die Familie der Drassiden, p. 237, f. 154.

In ins. Porto Santo lectus est pullus *Mesioteli*, in quem descriptio *Clubionae virgulatae* a Blackwallio prolata paullo melius quadrare videtur quam in *M. maderianum;* pullus hic valde similis est *M. tenuissimo* (L. Koch). — Fortasse tamen *M. tenuissimus* et *Clubiona virgulata* species sunt inter se et a pullo nostro diversae.

---

[1]) *Liocranum annulipes*, Kulcz. in: Araneae Hungariae, v. 2, p. 240, t. 9, f. 54, 56, 66. — *Mesiotelos* a *Liocranis* imprimis pedum anteriorum armaturâ distinguo; differentiam in formâ mamillarum mediarum, a Cel. E. Simonio detectam (Hist. natur. des Araignées, ed. 2, v. 2, p. 136), non contigit mihi in exemplis *Mesiotelorum* paucis, quae vidi, mediocriter conservatis, plane cernere.

[2]) *Liocranum alexandrinum* E. Simon, Bullet. Soc. entom. de France 1880, n. 15, p. 134.

Micaria Westr.

Micaria inc. sp.

Madera, pullus unus.

Agalenidae.

Textrix Sund.

T. coarctata (L. Duf.).

Aranea coarctata, L. Dufour 1820. Ann. sc. natur., s. 1, v. 22. (teste E. Simonio). — *Textrix obscura*, Blackwall 1859. Descriptions cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 3 s., v. 4, p. 258).

Exemplum nostrum adultum unicum, femininum, in insulâ Maderâ captum, non differt ab exemplis *T. coarctatae* in Dalmatiâ et in Galliâ meridionali collectis. Eius cephalothorax 3·9, pedes I. 9·3, II· 8·9, III. 9·0, IV. 11·2 mm. longi sunt; paullo minor itaque est haec femina quam exempla Blackwallii, quorum descriptio non male quadrat in exemplum nostrum, eo excepto, quo pedes sex anteriores omnes longitudine inter se non differre dicuntur.

Tegenaria Latr.

T. parietina (Fourcr.).

Aranea parietina, Fourcroy 1785. Entomologia Parisiensis (teste E. Simonio).

Madera (mares et feminae adulta). Porto Santo (feminae ad.).

Maris processus tibiales palporum: supremus et medius, paullulum mutabiles, ut etiam in exemplis Europaeis.

T. pagana C. L. Koch.

Tegenaria pagana, C. L. Koch 1841. Die Arachniden, v. 8, p. 31, f. 612, 613.

Madera. Exempla non adulta et feminae adultae, cephalothorace 3—4·5 mm. longo, omnibus rebus cum exemplis Dalmaticis congruentes.

T. Derhamii (Scop.).

Aranea Derhamii, Scopoli 1763. Entom. Carn. p. 400.

Madera. Exempla adulta utriusque sexus et iuniora.

T. maderiana Thor. (Tab. IX, fig. 111, 114).

Tegenaria Maderiana, Thorell 1875. Descr. of sever. Eur. a. N.-Afr. Spiders, p. 76. — *Coelotes Aemilii*, Bösenberg 1895. Beitr. z. Kenntn. d. Arachn.-Fauna v. Madeira u. d. Canar. Ins., p. 4, f. 6 a., b.

Ins. Madera.

Species haec, quamquam mandibulis basi geniculatis ad genus *Coelotam* accedit, generi *Tegenariae* subiungenda videtur, epigyne eius enim caret dentibus illis corneis, quibus epigyne *Coelotarum* omnium mihi notarum in lateribus aut antice ornatur.

Exemplum nostrum unicum (femina nuper adulta, non parum mutilata), quum differat paullo a descriptionibus Cel. T. Thorellii et Cel. W. Bösenbergii, describendum censeo.

Cephalothorax 4·35 mm. longus, 3·06 latus, parte cephalicâ 2·18 latâ. Series *oculorum* posterior paullulum recurvata, intervalla subaequalia, diametro oculorum mediorum circiter sescuplo maiora; series anterior leviter procurva, oculi medii rotundi, lateralibus ellipticis minores (illorum diameter circiter diametro minori horum aequalis), inter se non totâ diametro suâ, a lateralibus circiter radio suo remoti; area oculorum mediorum, qui inter se paene aequales sunt et quorum antici a posticis circiter diametro distant, postice paullo latior quam antice, aeque circiter longa atque antice lata. *Mandibulae* 2·0 longae, 0·95 latae, sub clypeo geniculato convexae, in sulci unguicularis margine antico dentibus 3-bus, in postico dentibus 6 magnis et ad dentem supremum denticulis minutis acutis tribus armatae. *Pedes* II. $13^1/_3$ mm. longi. *Abdomen* 4 mm. longum (mamillis exclusis), paene 3 latum. *Mamillarum* supremarum articulus apicalis basali circiter sescuplo longior. *Epigyne* (fig. 114) foveâ ornatur modice profundâ, antice et in lateribus margine acuto, sed non elevato, circumdatâ, postice omnino apertâ, subrectangulâ, angulis (anticis) rotundatis, circiter 0·2 mm. longâ, latiore quam longiore, ab epigastrii margine circiter longitudine suâ remotâ. Foveae pars lateralis utraque in fissuram abit angustam, quae in epigynâ ab imo et paullo a latere visâ conspici potest, ab imo autem margine foveae occultatur. Pars epigynae pone foveam sita laevis glabra nitida, in longitudinem convexa, secundum lineam medianam leviter impressa. Humefacta epigyne (fig. 111) pallida est, marginibus foveae fulvis picta; horum anticus angustissimus, laterales lati, postice oblique truncati, acuti, leviter incurvati; cum apice postico marginis lateralis utriusque macula coniungitur fulva et fuliginea, modice definita, triangularis, inaequilatera, aeque lata saltem atque margo ipse, ab eo vittâ pallidâ non latâ distincta, ab epigastrii margine postico circiter longitudine suâ remota; pars epigynae maculis his et margini postico interiecta, in lateribus lineis paene rectis, retro et intus directis limitata, paullulum obscurius quam foveae fundus colorata.

Cephalothorax pallide fulvus, marginibus lateralibus partis thoracicae nigricantibus; pars cephalica supra secundum totam longitudinem lineis ornatur tenuibus obsoletis fuligineis duabus, antice inter se proximis, postice in lineam unam coniunctis, praeterea ad partem posticam impressionis cephalicae utriusque maculâ fuligineâ melius expressâ, inaequali, oblongâ, postice angustatâ et incurvatâ, lineam medianam tamen non attingenti, antice in lineas abeunti fuligineas duas, quam est

ipsa longiores, in dimidium anterius partis cephalicae parum productas, quarum exterior impressioni cephalicae plus minusve parallela est, interior autem in longitudinem fere (parum foras) directa; antice lineae hae in rete abeunt laxum, perparum expressum, oculos versus directum. Partis thoracicae, cuius limbus marginalis latus et pars media sat magna maculis carent (excepto sulco medio, qui obscure coloratus est), pictura e maculis fuligineis constat cuneatis quatuor, pedum coxas versus directis, anterioribus melius quam posteriores (praesertim quam maculae super coxas III. sitae) expressis, et ex lineis radiantibus parum perspicuis, in intervallis macularum primo et secundo sitis. Mandibulae palpi pedes fere colore cephalothoracis, maxillae et sterni pars media paullo pallidiores, labium et sterni partes laterales infuscata; pedes vestigiis annulorum perparum expressis ornati. *Abdomen* fulvum, supra et in lateribus fuligineo maculatum, maculis in dorso adeo congestis, ut hoc fuligineum potius, fulvo maculatum dici possit; dorsi (cuius pars antica in exemplo nostro contusa est) pictura similis atque in *Tegenariis* non paucis, ex. gr. in *Teg. campestri* C. L. Koch (minus laeta quam in *T. domestica* [Clerck] Thor.), e serie duplici constat macularum fulvarum, in dorsi parte posteriore paullulum colore rufo suffusarum; maculae quatuor anteriores oblongae, maiores videntur, posteriores rotundatae per paria angulis fulvis acutis inter se coniunguntur; dorsum secundum medium colore fuligineo minus dense maculatum est, quam inter maculas seriei utriusque; in lateribus abdominis ventrem versus maculae fuligineae minores fiunt et minus congestae; venter cinereo-fulvus, prope mamillas infuscatus, ceterum picturâ evidentiori caret. Mamillae pallide fuligineae.

Pisauridae.

Pisaura E. Sim.

P. mirabilis (Clerck) var. maderiana n. (Tab. IX, fig. 116, 123).

Araneus mirabilis, Clerck 1757. Svenska Spindlar, p. 108.

Frequens in ins. Maderâ et Porto Santo.

Colore variat *Pisaura mirabilis* in insulis Maderianis similem in modum atque apud nos; e formis a C. L. Kochio in opere, quod „Die Arachniden“ inscribitur, depictis (v. XIV fig. 1346—48) „*Ocyale murina*“ frequentissima est, „*Ocyale mirabilis*“ eâ non multo rarior, *Ocyales rufofasciatae* exemplum adultum unicum, femininum, vidi. Non rarae sunt formae mediae inter *murinam* et *mirabilem*, ex. gr. cephalothorace ut in *murinâ* picto, abdominis dorso maculis ornato nigris, quae partibus marginalibus convexis areae dorsualis obscurae in *O. mirabili* respondent. Facies *murinae* saepius feminae praebent adultae, quam

mares. — Statura etiam mutabilis; cephalothorax feminarum 3·4—5·5. marium 4·0—4·9 mm. longus. (Nescio, an non viderim alia exempla adeo parva, atque sunt feminae Maderianae adultae minimae).

Differt *Pisaura mirabilis* Maderiana ab exemplis Europaeis, quae novi, partium genitalium formâ et magnitudine. *Epigyne* feminarum in insulis Maderianis captarum (fig. 123) magnitudine eâdem est fere atque epigyne feminarum typicarum nuper adultarum [1]), ad formam tamen similis epigynae exemplorum aetate magis provectâ, eo excepto, quod lamella media postica postice plus minusve late rotundata est et in medio plerumque angulata, neque latissime truncata et levissime emarginata. In exemplis nostris quinque: 1) maximo, 2) minimo, 3) areâ posticâ, cum longitudine epigynae comparatâ, angustissimâ, 4) eâdem latissimâ, 5) areâ eâdem maxime transversâ — longitudo epigynae a margine postico usque ad apicem anticum costarum: 1) 1·07, 2) 0·71, 3) 0·94, 4) 0·81, 5) 1·04, areae posticae latitudo: 0·57, 0·37, 0·45, 0·55, 0·68, areae huius longitudo (angulo postico medio et costis anticis lateralibus curvatis inclusis) 0·44, 0·34, 0·39, 0·42, 0·36 mm. explet. (Mensurae respondentes exemplorum duorum Austriacorum: 1·32, 1·43,—0·78, 0·94,—0·55, 0·62).

Pars tarsalis *palporum* maris (fig. 116) angustior quam in typo (fig. 115), circiter 1·24 lata (in hoc ca. 1·7), lineâ rectâ ab angulo basali interiore ad apicem dimensa duplo fere longior quam latior (in typo circiter duabus tertiis partibus longior), non latior quam series oculorum posticorum longa est (in typo paullo latior). Bulbus genitalis eo differt, quod lamella cornea, quae marginem suum externum et apicalem exteriorem format, incurvata, apice lineam medianam bulbi directo ab imo adspecti non attingit in varietate *maderiana*, in typo autem attingit saltem.

Lycosidae.

Trochosa C. L. Koch.

Tr. ingens (Blackw.) (Tab. IX, fig. 121).

Lycosa ingens, Blackwall 1857. Descriptions of the male of Lycosa tarentuloides Maderiana, cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 2 s., v. 20, p. 284). — Id. 1867. Notes on Spiders, cet. (l. c., s. 3, v. 20, p. 3). — *Trochosa ingens*, Thorell 1875. Descript. of sever. Eur. a. N.-Afr. Spiders, p. 168.

---

[1]) Confer descriptionem epigynae feminae ad Teleshovo a Cel. Dre G. Horváth captae, in „Araneae a Dre Horváth in Bessarabia, Chersoneso Taurica, Transcaucasia, Armenia Russica collectae“ (Természetrajzi Füzetek vol. XVIII. p. 20) — ubi tamen, per errorem sane dolendum, omnes mensuras (etiam feminae, quae ova deposuerat) duplo minores, quam re vera sunt, tradidi.

Huius speciei exempla nostra omnia in insulis lecta sunt, quas Desertas vocant.

Exempla nostra feminina adulta 38—42 mm. longa sunt, cephalothorace (mandibulis exclusis) $16^2/_3$—18 mm. longo, pedibus IV. usque ad 51 mm. longis.

Pars cephalica circa $^2/_3$ partis thoracicae latitudine aequat, sub oculis seriei 3-ae quam series haec circiter duplo latior est, oculi hi desuper adspecti paullulum longius a cephalothoracis margine quam inter se distare videntur. Series *oculorum* 2-a circiter $^1/_3$ frontis desuper adspectae occupat. Trapezium oculorum posteriorum fere dimidio latius postice quam antice, aeque circiter longum atque antice latum. Oculi seriei posticae inter se circiter $2^1/_2$ diametro suâ, ab oculis seriei 2-ae circiter diametro suâ distant; horum diameter paullo plus quam quartâ suâ parte longior diametro oculorum posticorum, intervallum circiter radio aequale. Series oculorum antica quam series secunda (lineis rectis, margines exteriores oculorum coniungentibus dimensae) paullo — circiter radio oculi lateralis antici — brevior, modice procurva, eius oculi subaequales, laterales ab oculis seriei 2-ae circiter radio suo, a clypei margine spatio parum maiore remoti. Valde humilis est *cephalothorax*, eius scutum dorsuale ad apicem anticum sulci ordinarii circiter triplo latius quam altius; a parte hac dorsum posteriora versus primo leviter, tum fortius descendit et a latere visum arcum format paene aequabilem; dorsum partis cephalicae supra partem thoracicam paullo elevatum, in longitudinem leviter arcuatum, paullo pone oculos posticos altissimum. *Mandibulae* in sulci unguicularis margine postico dentibus tribus fortibus armatae. *Pedum* anteriorum tarsi metatarsi tibiae infra scopulata, scopulâ in tibiis II. basim versus evanescenti; pedum posteriorum tarsi et metatarsi scopulâ ornati, in metatarsis IV. praesertim basim versus mediocriter definitâ; in cunctis tarsis scopula lineâ pilosâ dimidiatur, apicem versus dilatatâ, ceterum in pedibus I. valde angustâ, latâ in IV. Tibiae I. subter aculeis 2.2 brevibus, in scopulâ occultis, et in apice duobus longioribus, tibiae II. subter prope basim ad latus posticum solum aculeo 1, medium versus 2, in apice 2 ornatae, aculei apicales modice longi sat crassi, ceteri longi graciles; metatarsi I. et II. subter aculeis 2.2 brevibus, in scopulâ occultis, in apice subter in medio aculeo 1 instructi.

Dorsum *cephalothoracis* fuligineum aut umbrinum, vittâ ornatum marginali cinerea, parum latâ et latitudine varianti, margine superiore parum definito, et ad eam supra maculis utrimque 4, quae marginibus anticis coxarum respondent, cum vittâ marginali coniunctae aut — posteriores — confusae, saepe (in exemplis aetate magis provectâ?) perparum distinc-

tae sunt; inter has maculas radii nonnunquam conspiciuntur pallidi, parum expressi, coxis pedum I. et II. respondentes, dimidium inferius laterum occupantes aut breviores. In lineâ medianâ cephalothorax vittâ pallidâ ornatur saepissime multo melius expressâ in parte thoracicâ quam in cephalicâ, in illâ cinereo-aut isabellino-albâ, tarsos anticos latitudine paullo superanti, ad marginem posticum evanescenti, in hac postice fortiter coarctatâ, ceterum aeque circiter latâ atque area oculorum, lateribus leviter arcuatis, antice sinuato ita angustatâ, ut non totum intervallum oculorum posticorum occupet, usque ad oculos seriei 2-ae productâ, vittas duas includenti obscure coloratas, paene parallelas, leviter curvatas (pictura haec similis est atque ex. gr. in *Trochosa ruricola*). Tota pictura partis cephalicae saepe fere omnino deleta. Mandibulae in dorsi parte parvâ externâ superiore pube pallidâ ornatae, ceterum nigro pilosae. Subter cephalothorax cum coxis pallidius aut obscurius fuligineus; pedes et palpi colore simili; horum pars femoralis supra vittâ pallidâ ornata; pedum femora et patellae subter non maculata, femorum latus utrumque maculis pictum 3—5, cinereis et albis, dorsum plus minusve maculosum, colore in dimidio basali maiore ex parte cinereo, in apicali fuligineo, in apice cinereo; patellarum dorsum magnam partem cinereum, apex semiannulo albo parum lato, plus minusve expresso, in medio plus minusve interrupto, ornatus. Tibiae in utroque latere plerumque basi et in medio et in apice albo maculatae, anteriores supra subterque concolores, in posterioribus maculae basales et mediae ita dilatatae, ut illae semiannulum infra situm, hae annulum completum forment (non raro maculae mediae tibiarum II. in semiannulum supra situm dilatatae et confusae inveniuntur). Metatarsi maculâ albâ non procul ab apice in dorso ornantur. Haec pedum pictura paullo mutabilis: maculae praesertim in iunioribus numerosiores quam in adultis. *Abdomen* exemplorum nostrorum (illaesum), supra ferrugineo-umbrinum aut cinereo-fuligineum, subconcolor dici potest et vix vestigia ostendit picturae a Blackwallio descriptae. Subter epigastrium solum pallidius est quam dorsum abdominis, venter autem obscurior, niger fere aut fuligineus, quo colore picta area antice totam fere latitudinem abdominis occupat, posteriora versus primo subito, tum usque ad mamillas leviter angustata est.

Maris nostri unici, $28^1/_2$ mm. longi, cephalothorax $15^1/_3$ longus, $11^1/_2$ latus est, pars cephalica supra palporum basim $^7/_{12}$ partis thoracicae latitudine aequat, oculorum situs similis atque in feminis; pedes I. $49^1/_2$, IV. $50^1/_2$, tibia cum patella IV. $15^1/_3$, mandibulae aeque circiter atque tarsi IV. longae. *Palporum* pars tarsalis partem tibialem cum dimidiâ patellari longitudine aequat saltem, paullo pone basim, ubi la-

tissima est, non latior quam pars tibialis, paullo ante medium fortius, inde apicem versus levius longe et aequabiliter fere angustata; rostrum dimidiam saltem partem laminae tarsalis occupat. Bulbi genitalis lamella characteristica ad marginem anticum cristâ ornatur paene transverse positâ, quae a latere visa dentem format gracilem, summo apice paullo obtuso, fere ad perpendiculum directum, a fronte autem adspecta (fig. 121) formam trianguli habet fere rectanguli, latioris quam alti, latere interiore paene ad perpendiculum (deorsum et paullo foras) directo.

Colore mas parum differt a feminâ. Palporum pars patellaris supra basi umbrino-cinerea, apice isabellino-cinerea, in medio fasciâ parum definitâ inaequali cinereo-umbrinâ ornata; pars tibialis umbrina, dorso in longitudinem lineâ umbrino-cinereâ, apice semiannulo isabellino-cinereo, parum lato, modice definito ornata; lamina tarsalis fuliginea, basi supra fasciâ angustâ isabellino-cinereâ picta. Pedum tibiae in lateribus et subter fuligineae, supra fusco-cinereae, pictura ceterum similis atque in feminis.

Tr. maderiana (Walck.). (Tab. IX, fig. 119, 120).

Lycosa tarentuloides Maderiana, Walckenaër 1837. Hist. nat. des Insectes Aptères, v. I. p. 291. — *Lycosa tarentuloides Maderiana*, Blackwall 1857. Descriptions of the Male of Lycosa tarentuloides Maderiana, cet. (Ann. a. Magaz. Nat. Hist., s. 2, v. 20, p. 282). — Non: *Trochosa Maderiana*, Thorell 1875. Descript. of sever. Eur. a. N.-Afr. Spid p. 167.

Haec species insulam Porto Santo et insulam vicinam: Ferro incolit. Non rara videtur.

Femina 18·5—37 mm. longa, cephalothorace (mandibulis exclusis) 8·3—15·8 longo, 5·8—11·7 lato, pedibus I. $21^1/_2$—$44^1/_2$, II. $19^1/_2$—$41^1/_2$, III. $18^1/_4$—$37^2/_3$, IV. 25—48 longis. *Cephalothorax* aeque circiter longus atque tibia cum patella IV., formâ eâdem fere atque in priore, in exemplis magnis saltem; series *oculorum* secunda tamen etiam in his fortasse constanter paullo plus quam $^1/_3$ frontis occupat; latus posticum trapezii oculorum posteriorum $^3/_{11}$ aut $^3/_{10}$ suis longius quam anticum, hoc paullo maius quam trapezium longum est; oculi postici ab oculis seriei 2-ae non totâ diametro remoti. Series oculorum antica procurva, diametro oculi lateralis saltem brevior quam secunda, oculi laterales mediis insigniter minores; oculi antici inter se et ab oculis seriei 2-ae spatiis parum inaequalibus, radium oculorum lateralium non aequantibus distant, a clypei margine laterales circiter radio, medii paullo plus quam radio remoti sunt. In exemplis parvis oculi spatium, si cum cephalothorace comparatur, maius occupant; in exemplo minimo, quod vidi, cephalothorax sub oculis seriei 3-ae aeque fere latus est atque $^7/_4$ huius seriei, series 2-a aeque longa atque $^5/_{11}$ frontis; praeterea in exem-

plo hoc oculi antici margini clypei paullo magis approximati mihi videntur: laterales ab eo non toto radio, medii radio remoti. *Mandibulae* aeque circiter atque tibia III. longae, in sulci unguicularis margine postico dentibus 3 ornantur. *Pedum* scopulae similes atque in *Tr. ingenti*, melius evolutae in exemplis magnis quam in parvis, in quibus tibiae I. et metatarsi IV. in dimidio apicali solum scopulâ ornantur, tibiae II. scopulâ carent. Tibiae anteriores subter aculeis 2.2.2 instructae, aculei, quatenus in scopulis iacent, brevissimi crassi, ceterum longi, itaque secundum staturam exemplorum longitudine variantes; metatarsi I. et II. subter aculeis 2.2. in scopulis occultis et 1 in apice medio armati. *Abdominis* forma vulgaris. *Epigyne* (fig. 119) foveâ ornatur longâ angustâ, triplo et dimidio aut 4-plo angustiore quam longiore, formâ paullo varianti, lateribus in universum parallelis, secundum totam longitudinem septo dimidiatâ profunde sito, posteriora versus paullo adscendenti, postice aeque atque foveae margines elevato et in costam dilatato transversam, quâ fovea postice finitur, quam fovea latiorem, foveolis duabus plus minus distinctis ornatam. Magnitudine fovea epigynae multo minus variat quam ceterum corpus, ex. gr. exempli cephalothorace 8·3 mm. longo, fovea 1·14 longa, 0·32 lata est, exempli maximi, cephalothorace 15·8 longo, 1·46 longa, 0·42 lata (occurrit etiam maior: 1·56 longa, 0·39 lata).

Cephalothoracis et abdominis *pictura* eadem fere atque in *Trochosa ingenti*, color plerumque pallidior. In exemplo, quod ceteris laetius coloratum vidi (in insulâ Ferro capto), vitta media *cephalothoracis* formâ eâdem atque in *Tr. ingenti*, flavido-cinerea, pube aurantiâ parce picta secundum medium partis cephalicae et uberius ad apicem anticum sulci medii et pone hunc sulcum; vittae marginales, colore eodem, in summo margine cephalothoracis praesertim antice colore croceo tinctae, aeque circiter atque metatarsi I. latae, perparum tamen definitae et supra inaequales; ceterum pars cephalica fuliginea est, pars thoracica pallidior, fuligineo-cinerea, vittas versus fuliginea. Mandibulae nigrae pube pallide coloratâ carent. Subter cephalothorax fuligineus, sternum coxis parum pallidius. *Abdomen* supra umbrinum, ad marginem anticum in medio umbrino-cinereum, in lateribus fuligineum (ut etiam parietis antici pars superior). Dorsi dimidium anterius vittâ lanceolatâ ornatum, marginibus solis paullo quam ceterum dorsum obscurioribus, postice acuminatâ; ad vittam hanc utrimque, paullo pone eius medium, abdomen puncto impresso ornatur fuligineo, pallide marginato, parum evidenti; puncta similia duo in mediâ dorsi longitudine conspiciuntur, magis inter se remota, cum apice vittae mediae lineam modice curvatam designantia. Latera colore dorsi, epigastrii pars magna flavida, venter fuligineus,

dorso obscurior. *Palpi* et *pedes* colore insignes: illi subter et in lateribus partis femoralis et in dimidio apicali dorsi partis tarsalis fuliginei, in dorso partis femoralis pallide aurantiaci, in dorso et in lateribus partium patellaris et tibialis, in dimidio basali partis tarsalis supra miniato-aurantiaci; pedum femora subter fuliginea, posteriora anterioribus pallidiora, supra flavido-cinerea, maculis evidentioribus carent; ceterae pedum partes subter colore femorum, supra miniato-aurantiacae in pedibus anterioribus, cinerascenti-aurantiacae in posterioribus.

Saepissime color minus laetus est et pictura plus minusve deleta; *cephalothorax* nonnunquam flavido-cinereus exceptis facie et lateribus partis cephalicae cinereo-umbrinis (pars cephalica tum maculâ ornatur ovatâ, antice in totum trapezium oculorum posteriorum dilatatâ; vittae marginales et pars thoracica vittae mediae vix cernuntur), nonnunquam tota pictura cephalothoracis, flavido-aut umbrino-cinerei, evanescit. Mandibulae non raro in parte dorsi externâ superiore pube pallide fulvâ, modice congestâ ornantur, raro pubes pallide colorata sparsa in toto dimidio superiore dorsi inter pilos nigros invenitur (pars inferior nigro pilosa, pube pallidâ fortasse constanter caret). *Abdomen* umbrino-cinereum aut flavido-umbrinum (dorsi pars antica tum fulva), picturâ saepe omnino deletâ, nonnunquam praeter vittam lanceolatam et puncta supra commemorata dorsum posterius utrimque serie punctorum albidorum, per paria lineis obscuris arcuatis recurvis inter se coniunctorum — perparum evidenter — ornatur. Venter raro non obscurior quam dorsum. *Pedum* et *palporum* color saepe multo minus laetus, quam qui supra describitur, et — praesertim in exemplis parvis — imprimis in pedibus posterioribus supra non multo laetior quam subter. Partium inferiorum color inter fuligineum et fulvum, partium superiorum inter aurantiacum et melleum fere (in pedibus anterioribus) aut pallide flavido-cinereum (in pedibus posterioribus) variat. Palpi fere in omnibus exemplis, quae vidi, supra laetius colorati sunt quam pedes anteriores, hi autem laetius quam pedes posteriores. — Exempli minimi nostri pictura pedum et palporum minus laeta est non solum propter pubis colorem pallidum, sed etiam propter eius densitatem insigniter minorem quam in exemplis magnis. — In exemplis pallide coloratis femora pedum posteriorum vestigiis macularum obscuriorum in lateribus ornantur.

Mas 21—31 mm. longus, cephalothorace 11—14 longo, 8—10·6 lato, parte cephalicâ sub oculorum serie 2-â aeque atque $^4/_7$ aut $^5/_9$ partis thoracicae latâ et quam series haec fere duplo — in exemplis magnis — aut $^3/_4$ — in parvis latiore. Trapezii oculorum posteriorum latus posticum quartâ parte suâ longius quam anticum, longitudo paullo minor quam latus anticum. Series *oculorum* antica utrimque plus quam

radio, in exemplis magnis fere diametro oculi lateralis brevior quam series 2-a. *Mandibulae* tibiis III. insigniter breviores, longitudine patellas I. aut II. aequantes; dorsi pars superior exterior pube fulvâ tecta, saepius tamen colore a ceteris partibus non distincta; sulcus unguicularis ut in teminâ armatus. *Palporum* partes patellaris tibialis tarsalis gradatim latiores, latitudine tamen parum inter se differunt; patellaris et tibialis aequali fere longitudine, duplo fere longiores quam latiores, tarsalis fere duplo et dimidio longior quam latior, aeque fere longa atque pars tibialis cum dimidiâ patellari, similis atque in *Tr. ingenti;* lamella characteristica bulbi genitalis (fig. 120) etiam similis, dens eius tamen a fronte visus triangulum format fortasse humilius, latere interiore deorsum et intus directo, apice intus oblique truncatum, acutum.

Color similis atque feminarum mediocriter laete coloratarum. (Mas iunior, in insulâ Ferro cum feminâ supra commemoratâ captus, colore ab ea non differt). *Cephalothoracis* vittae saepissime distinctae, marginales supra parum inaequales, metatarsos anticos latitudine circiter aequant; latera partis cephalicae raro obscuriora quam partes thoracis vittis interiectae, plerumque ut hae umbrino-cinerea; nonnunquam cephalothorax vestigiis vittarum radiantium utrimque ternarum, praesertim prope vittas marginales, ornatur. *Palporum* pars femoralis supra pube flavido- aut aurantio-cinereâ tecta, lateribus pallidius aut obscurius umbrinis, magnam partem (basim versus) nudis; pars patellaris et tibialis supra et in lateribus aurantiacae aut miniato-aurantiacae, subter — ut pars femoralis — pallide umbrinae, pube parum congestâ aurantio- aut flavido-albâ tectae; pars tarsalis in dimidio basali ut pars tibialis colorata, apicem versus fuliginea.

Tr. insularum n. sp. (Tab. IX, fig. 122, 126).

Incolit ins. Porto Santo et Maderam, in hac fortasse insigniter frequentior quam in illâ.

Species haec exemplis parvis et pallide coloratis *Trochosae maderianae* adeo similis est, ut ab eis formâ partium genitalium: epigynae foveâ breviore et insigniter minore, dente bulbi genitalis acuto, neque oblique truncato — fere solâ differat. Cephalothorax *Tr. insularum* paullo altior est quam *Tr. Maderianae* et, in teminâ saltem, inter partem cephalicam et thoracicam supra non impressus. Iuniora exempla ambarum specierum distinguere nescio.

Femina $12^3/_4$—20 mm. longa. *Cephalothorax* 6—7·4 longus, 4·1—5·5 latus, paullulum longior quam tibia cum patellâ IV., paullo latior quam tibia cum patellâ III. longa, sub serie tertiâ oculorum circiter $^3/_4$ latitudinis maximae aequans et quam series haec circiter $^2/_3$

latior; latus anticum trapezii *oculorum* posteriorum circiter $^3/_4$ lateris postici aequale et longitudinem trapezii paullo superans. Oculi postici inter se circiter duplâ et dimidiâ diametro (in exemplo nostro minimo parum plus duplâ diametro), ab oculis seriei 2-ae non totâ diametro remoti, horum oculorum $^4/_5$ (in diametro) aequantes; intervallum oculorum seriei 2-ae radio paullo minus; series antica oculorum circiter diametro oculi lateralis (in exemplo commemorato evidenter plus quam eâ) brevior quam secunda, sat fortiter procurva, oculi medii lateralibus insigniter maiores, intervalla, quibus inter se et ab oculis seriei 2-ae distant, radio oculorum lateralium paullo minora; a clypei margine oculi laterales radio saltem, medii evidenter plus quam radio remoti (clypei margo modice durus et aliquantum mobilis, eius altitudo itaque paullo mutabilis videtur). Dorsum *cephalothoracis* a latere visum distincte in declivitatem posticam et partem sublibratam fractum, haec arcum formans parum convexum, paene aequabilem, inter partem cephalicam et thoracicam non evidenter impressum. *Mandibulae* metatarsis II. paullulum breviores, sub clypeo fortiter convexae, in sulci unguicularis margine antico dentibus 3-bus, medio lateralibus multo maiore, in margine postico dentibus tribus, fortibus, unguem versus gradatim minoribus, armatae. *Pedes* (exemplorum cephalothorace 6 mm. et 7·4 mm. longo) I. $16^1/_2$—$19^1/_4$, II. $14^3/_4$—$18^1/_4$, III. 14—$16^1/_4$, IV. 19—$22^3/_4$ mm. longi. Tarsi omnes scopulati, scopulae sat late dimidiatae; metatarsi anteriores toti, posteriores apicem versus, tibiae I. (exceptis exemplis parvis) in dimidio apicali scopulatae, scopula tibiarum I. modice densa et, ut scopulae metatarsorum posteriorum basim versus, parum definita. Pedum anteriorum tibiae subter plerumque aculeis 2.2.2, basalibus et mediis gracilibus, apicalibus parum gracilibus, ornatae (in tibiis II. aculeus basalis anterior aut etiam anterior medius desunt non raro), metatarsi I. et II. subter aculeis 2.2.1 armati (aculeus apicalis in medianâ parte iacet, nonnunquam hoc loco duo aculei inveniuntur inter se approximati, inaequales), patella IV. apice pilo tenui, neque aculeo instructa. *Abdominis* forma vulgaris. *Epigyne* (fig. 126) foveâ ornatur 0·65—0·80 mm. longâ, angustâ, duplo et dimidio aut fere triplo et dimidio angustiore quam longiore, formâ paullo varianti, lateribus in universum parallelis, postice dilatatâ, septo dimidiatâ modo maximam partem, modo posterius solum humiliori quam foveae margines; quod septum postice in costam transversam dilatatum, partem postremam foveae replet.

Humefactus *cephalothorax* vittâ mediâ ornatur fulvâ, pallidiore aut obscuriore, prope medium cephalothoracem (paullo pone eum) fortiter coarctatâ, pone hanc stricturam aeque circiter atque tibiae I. latâ, posteriora versus leviter angustatâ, ante stricturam latiore: latitudine se-

riem oculorum 3-am aequanti aut paullo angustiore, et marginibus maximam partem parallelis, prope oculos posticos angustatâ et in aream oculorum ingredienti; pars haec anterior vittae mediae lineis picta est duabus obscurioribus longitudinalibus latiusculis, saepissime parum evidentibus, longitudine non parum variantibus, nonnunquam brevibus et paullo obliquis. Ad vittam fuligineo-badius est cephalothorax, obscurior plerumque in parte thoracicâ quam in cephalicâ; qui color margines partis thoracicae versus sensim pallidior fit, ita ut cephalothorax careat vittis pallidis marginalibus definitis; pars cephalica, contra, secundum impressiones cephalicas obscurius colorata quam vittam mediam versus; pars thoracica nonnunquam vestigiis vittarum radiantium obscuriorum ornatur. *Mandibulae* fuligineo-nigrae; *labium* fuligineum, *maxillae* badio-fuligineae, apice ut labium pallidae. *Sternum* fulvum, margines versus colore fusco suffusum. Coxae *pedum* colore sterni aut eo paullo pallidiores. *Palpi* fulvi aut pallide latericii, apicem versus obscuriores, parte tibiali badiâ, parte tarsali castaneâ. *Pedum* color similis, femora obsolete annulata, annulis in femoribus anterioribus 4, plerumque in latere postico superiore solum evidentibus, in posterioribus plerumque 3 (ad basim et in dimidio apicali sitis) in latere antico et subter solum plus minusve expressis; non raro latus posticum femorum anticorum et latus anticum femorum posteriorum umbrâ fuscâ longitudinali ornatur; tota haec pictura nonnunquam omnino deleta. Apicem versus pedes infuscati sunt, anteriores posterioribus fortius, metatarsi et tarsi anteriores plerumque badio-castanei, tibiae eis modo parum modo evidenter pallidiores, quam patellae modo insigniter modo parum obscuriores. Dorsum *abdominis* colore varians, umbrino-cinereum, fulvum, pallide umbrinum, prope marginem anticum modo insigniter modo non pallidius, punctis fuligineis maiusculis adspersum, in dimidio anteriore vittâ ornatum lanceolatâ, angustâ, postice acutâ, marginibus fuligineis, ceterum colore parum a partibus dorsi vicinis distinctâ, medium dorsum attingenti aut paullo longiore; nonnunquam margines vittae huius valde obsoleti sunt, saepius prope mediam longitudinem incrassati puncta formant duo conspicua. Dorsi dimidium posterius angulis ornatur obscuris quinque, e lineis tenuissimis recurvis constantibus, perparum evidentibus; ante angulum quemque puncta fuliginea pauca in arcum recurvatum disposita inveniuntur, alia autem prope apices laterales angulorum, plus minusve congesta, maculas formant diffusas, praesertim in parte dorsi posticâ. Tota haec pictura plerumque vix perspici potest. Paries anticus abdominis supra utrimque maculâ magnâ fuligineâ diffusâ ornatur. Latera abdominis colore dorsi, venter paullo pallidior.

Exemplum unum in ins. Maderâ captum maculis pallide fulvo-cinereis ornatur in dorso abdominis: in dimidio anteriore punctis 6 per paria dispositis, quorum antica ad vittam lanceolatam prope eius medium iacent, postrema cum apice vittae huius lineam paene rectam designant, inter se et a punctis anticis paribus intervallis fere distant; puncta paris 2-di insigniter longius inter se remota sunt et punctis posticis paullo propiora quam anticis; maculae duae magnae oblongae, plus minus quadrangulares, circiter a mediâ dorsi longitudine usque ad $^3/_5$ longitudinis pertinent; par macularum multo minorum, irregularium, circiter in $^3/_4$ longitudinis iacet; denique in medio fere inter has maculas et mamillas puncta duo inveniuntur inter se magis approximata. Spatium maculis quatuor commemoratis interiectum paullo latius quam area oculorum et cetero dorso paullo obscurius coloratum. Pictura haec, albida in fundo cinereo-umbrino, melius in exemplo desiccato distincta quam in humefacto.

Cephalothoracis desiccati pictura plerumque similis atque humefacti — pars tamen anterior vittae mediae lineis obscure coloratis caret — color pallidior: vitta media postice plerumque cinereo-albida, anterius plerumque fulvo-albida, latera supra umbrina, margines versus umbrino-cinerea; vitta obscura in lateribus partis cephalicae secundum impressiones cephalicas plerumque deest; nonnunquam pubes pallida in marginibus partis thoracicae, praesertim postice, limbum format latum, perparum definitum; nonnunquam cephalothorax totus fere pube umbrino-cinereâ tectus est et color laterum parum obscurior quam vittae mediae. *Mandibulae* maiore ex parte inter pilos nigros pube breviori pallide coloratâ, parum congestâ tectae, apicem versus tamen pube tali carent. *Abdomen* exempli nostri laetissime colorati cinereo-fulvum, latera versus pallidius, vitta antica lanceolata partibus vicinis paullulum obscurior, marginibus vix quam ipsa obscurioribus; puncta fuliginea utrimque ad vittam mediam sita distincta, in margine antico puncto minore albido ornata. Pictura posterioris dimidii dorsi, supra descripta, e lineis angulatis et punctis fuligineis in arcus transversos dispositis constans, modice expressa; maculae laterales e punctis congestis formatae desunt. Paries anticus ut in corpore humefacto maculatus, laterum et ventris color pallidior. — Occurrunt exempla dorso fere avellaneo, vix vestigiis picturae descriptae ornato, punctis fuligineis ad vittam anticam sitis fere deletis. *Palporum* et *pedum* pube cinereo-albidâ aut flavo-albidâ, praesertim in tibiis metatarsis tarsis anterioribus supra et in parte patellari palporum, in femoribus modice, in ceteris partibus autem insigniter congestâ, color valde mutatur, ita ut pedes praesertim anteriores apicem versus sensim pallidiores fiant; vestigia annulorum in pedum femoribus

desunt; palporum pars tarsalis obscurior quam tibialis, haec obscurior patellari.

Mas (unicus) $11^1/_2$ mm. longus, cephalothorace 6·2 longo, 4·5 lato, aeque longo atque tibia cum patella IV., aeque lato atque tibia cum patella III., sub serie oculorum 3-â latitudine circiter $^5/_9$ partis thoracicae aequanti et quam series haec duplo latiore. *Oculi* postici inter se parum longius quam dupla suâ diametro, ab oculis seriei 2-ae spatio quam diameter insigniter minore remoti; intervallum oculorum seriei 2-ae radio paullulum maius; series antica paullo plus quam duplâ diametro oculi lateralis brevior quam secunda, intervallum medium lateralibus subaequale, omnia radio oculorum lateralium minora, oculi medii a clypei margine spatio quam radius minore remoti (an constanter?). Dorsum cephalothoracis inter partem cephalicam et thoracicam levissime excavatum. *Mandibulae* metatarsis II. multo breviores et paullulum breviores quam tarsi I., sub clypeo parum convexae. *Pedes* I. $19^1/_2$, II. 18, III. 16, IV. 21, pedum I. patella 2·55, tibia 3·79, metatarsus 4·37, tarsus (unguiculis exclusis) 2·33 longus, tibia metatarsus tarsus paene cylindrata, gradatim tenuiora. Scopulae minus evolutae quam in feminâ, in tibiis I. nullae, in pedibus posterioribus laterales solum, angustae. *Palporum* pars patellaris et tibialis aequali fere longitudine, paene duplo longiores quam latiores, lateribus parallelis, pars tarsalis sescuplo saltem longior quam tibialis, eâ non multo latior, duplo saltem longior quam latior; rostrum circiter $^2/_5$ totius longitudinis occupat. Lamella characteristica similis atque in prioribus, eius dens in palpo a latere adspecto vix prominet, a fronte visus (fig. 122) triangulum format latere interiore deorsum et paullulum foras directo, apice acuto, non truncato.

Colore mas a feminâ parum differre videtur; palporum pars patellaris et tibialis pallide fulvae, tarsalis badia, pube tectae modice congestâ, flavido-cinereâ, in parte tarsali apicem versus obscurâ; pedum anticorum tibia badio-fuliginea, patellâ evidenter obscurior; metatarsus et tarsus fuliginei.

Hab. in ins. Porto Santo et Madera; in hac fortasse insigniter frequentior quam in illâ.

Tr. Herii Thor. (Tab. IX, fig. 118).

Trochosa Herii, Thorell 1875. Descriptions of several European and North-African Spiders, p. 166.

Feminam unicam, haud dubie huius speciei, et mares tres, ut illa in insula Maderâ captos, vidi; horum duos tamen non sine haesitatione huic speciei adnumero.

Femina nostra paullulum minor est, quam exemplum a Cel. T. Thorellio descriptum, cephalothorace $6^1/_4$, pedibus I. ca. $15^1/_2$, IV. ca. $19^1/_4$ longis. *Oculorum* series antica circiter radio oculi lateralis brevior mihi videtur quam series 2-a, oculi medii antici a clypei margine paullo minus quam diametro suâ remoti. *Scopulae* paullo minus evolutae quam in specie priore, tibia I. non scopulata, scopula metatarsi II. basim versus evanescit, scopulae pedum posteriorum angustae, laterales, in metatarsis basim longe non attingunt. Tibiarum et metatarsorum I. et II. armatura similis atque in *Tr. insularum* (tibia II. subter ad latus anticum altera aculeis 0.0.1, altera 0.1.1. armata).

Mas unus 10 mm. longus, cephalothorace 5·2 longo, 3·9 lato, differt a feminâ cephalothorace paullo breviore quam tibia cum patella IV., antice fortius angustato: sub oculis seriei 3-ae latitudine $^7/_{13}$ partis thoracicae (neque $^2/_3$, ut in feminâ) aequanti et quam series haec dimidio (neque $^5/_6$) latiore. *Mandibulae* aeque longae atque tarsi II., sulcus unguicularis, ut in feminâ, antice et postice dentibus 3 ornatus, dentes postici gradatim minores, anticorum primus minimus, secundus magnus, tertius parvus. *Palporum* pars patellaris duplo fere longior quam latior, patellaris eâ parum brevior, lateribus parallelis, $^3/_5$ longior quam latior; pars tarsalis aeque longa atque pars tibialis cum patellari, duplo et dimidio longior quam latior, rostrum dimidiam fere longitudinem occupat. Bulbus genitalis a bulbo *Tr. insularum* nulla re differre videtur, nisi apice emboli foras et anteriora versus directo, paene recto, neque ut in illa anteriora versus curvato (an ita constanter?). *Pedes* I. 16, II. $14^3/_4$, III. 14, IV. 19, patella I. 2·04, tibia 3·21, metatarsus 3·50, tarsus 2·19 longus, partes hae gradatim tenuiores, formâ ordinariâ; tibia cum patellâ IV. 5·6 longa. Scopulae similes atque in feminâ, minus evolutae, in metatarsis posterioribus subnullae.

Color exempli huius, magnam partem detriti, similis fuisse videtur atque feminae; pedes antici a ceteris colore parum distincti; palporum pars femoralis flavida, apicem versus in latere exteriore fuligineo maculata, partes patellaris et tibialis pallide rufo-flavidae, haec basi in utroque latere fusco maculata; pars tarsalis badio-fuliginea.

Alia duo exempla minora: $8^3/_4$ et $7^1/_4$ longa, cephalothorace 4·8 et 3·6 longo, patellâ cum tibiâ IV. 5·3 et 3·9, patellâ I. 2·0 et 1·4, tibiâ I. 3·1 et 2·2, metatarso I. 3·3 et 2·3, tarso I. 2·1 et 1·55 longo, multo pallidius colorata, alterum (maius) femoribus fortiter, alterum obsolete (non fortius quam in exemplis nonnullis *Tr. insularum*) annulatis; abdomen (omnino detritum) fulvum, punctis fuligineis maioribus minoribusque adspersum, picturâ fere eâdem atque in exemplis *Tr. insularum* obscure coloratis.

A *Tr. insularum Trochosa Herii* differre videtur epigynae (fig. 118) formâ aliâ, in mare autem metatarsis pedum I. cum tibiis comparatis paullo brevioribus et palporum parte tarsali aeque longâ atque pars tibialis cum patellari paene totâ (neque dimidiâ, ut in illâ).

Ad *Trochosarum* species, quae insulas Maderianas incolunt, perfecte disponendas investigationes ulteriores necessariae mihi videntur.

Tr. Blackwallii (Johnson).

Lycosa Blackwallii, Johnson 1863. Description of a new species of Lycosa living in the island of Madeira; with some remarks on Lycosa tarentuloides maderiana, Walckenaer. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 3. s., v. 12, p. 152). — *Trochosa Maderiana*, Thorell 1875. Descr. of sever. Eur. a. N.-Afr. Spiders, p. 166. (non Walckenaër). — *Trochosa Schmitzii*, Kulcz. 1895 in E. Schmitz, Arachnidios da Madeira, p. 197.

Omnia exempla nostra huius speciei collecta videntur in insulâ Maderâ. Marem adultum non novi.

Series antica oculorum parum plus quam radio oculi lateralis brevior quam series secunda. Tarsi omnes et metatarsi anteriores dense scopulati; tarsorum scopula lineâ setosâ dimidiata, angustâ in pedibus I, in IV. fere non angustiori quam dimidium alterutrum scopulae ab imo visae; metatarsorum III. pars maior, IV. circiter dimidium apicale scopulatum, scopulâ in lateribus melius evolutâ quam subter (hic in metatarsis IV. subnullâ); tibia I. caret scopulâ evidentiori, aculeis armatur subter, ut tibia II., 2.2. longis gracilibus et 2 apicalibus minus gracilibus; metatarsi anteriores subter aculeis 2.2. et 1 in apice medio instructi.

Lycosa Latr.

L. proxima C. L. Koch.

Lycosa (Pardosa) proxima, C. L. Koch 1848. Die Arachniden, v. 15, p. 53, f. 1453, 1454.

Ins. Madera (exempla complura, adulta et iuniora); Porto Santo (femina unica).

Exempla staturâ mediocri, feminae cephalothorace 2·9—3·4 mm. longo, pleraque obscure, imo valde obscure colorata. Epigyne magis varians, quam in exemplis Europaeis, quae vidi saltem. Nonnunquam adeo brevis est fovea epigynae, ut non longior quam postice latior evadat. Pars anterior foveae non raro latior est, praesertim posteriora versus, quam in epigynâ, quam in opere, quod „Araneae Hungariae" inscribitur, delineavi (v. 1, tab. II, fig. 24), ita ut latera sua ibi cum septo non cotingant.

Attidae.

Epiblemum Hentz.

E. mutabile (H. Luc.).

Salticus mutabilis, H. Lucas 1849. Explor. scientif. de l'Algérie, Zoolog. III. p. 168, t. 8, f. 8.

Madera. Complura exempla, adulta et iuniora, nullâ re ab exemplis Croaticis et Dalmaticis distincta.

Dendryphantes C. L. Koch.

D. diligens (Blackw.). (Tab. IX, fig. 128—132, 134, 135, 140, 141, 144, 145).

Salticus diligens, Blackwall 1867. Notes on Spiders, cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 20, p. 4). — ? *Salticus vigilans*, Id. ibid p. 7. — *Marpessa ornata*, Thorell 1875. Descript. of sever. Eur. a. N.-Afr. Spid., p. 181. — *Marpissa ornata*, Warburton 1892. Spiders from Madeira. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 6, v. 10, p. 218, t. 14, f. 4—6).

Inter *Dendryphantas*, qui insulas Maderianas: Maderam et Porto Santo, incolunt, duo adeo inter se similes sunt formâ, ut nesciam, utrum pro speciebus diversis an pro varietatibus modo unius speciei haberi debeant. Alter eorum idem est atque *Marptusa ornata* Cel. T. Thorellii, alterius, non parum frequentioris, marem Blackwall ut *Salticum diligentem* descripsisse videtur. Quum, formam quod attinet, inter feminas nullam differentiam invenire mihi contigerit, ad colorem, exempla feminina plerumque (obscurius colorata) facile quidem, nonnunquam tamen vix distingui possint, *Dendryphantas* hos in unam speciem coniungendos esse censeo, etiamsi mares insigniter inter se differunt faciei indumento (si quidem mas, quem „*Marptusae ornatae*" subiungo, verus est mas huius varietatis[1]).

Feminae ambarum formarum valde variant *colore* abdominis. Var. *ornata* (fig. 129, 130) insignis est limbo pallido, quo dorsum abdominis ornatur, in lateribus lato, antice angusto, ad mamillas plus minusve interrupto, ceterum integro, obscure flavido-cinereo, umbrino punctato. Forma typica fere nullâ re ab exemplis obscure coloratis *Dendryphantae nidicolentis* (Walck.) differt. Eius abdomen (fig. 131, 132, 134, 135) desuper visum badio-fuligineum, punctis pallide fulvis adspersum, in margine antico arcu flavido-cinereo, angusto, parum in latera producto, in latere utroque vittis duabus obliquis, colore eodem, brevibus,

[1]) Quamquam mares *Dendryphantae diligentis* typici omnes, quos vidi, supra plus minusve detriti sunt, omnino non probabile mihi videtur, eos omnes pubem clypei et mandibularum, dilute coloratam, — non vero cingulos oculorum — perdidisse.

alterâ parum ante medium, alterâ minore paullo pone medium sitâ, ornatur; postice area dorsualis obscure colorata ita incisa est, ut modo ex angulis constet duobus, apicibus inter se confusis, et mamillas non attingat; spatium apici areae dorsualis et mamillis interiectum angulo badio minore plus minusve indistincto ornatur. In dimidio anteriore dorsum paribus duobus vittarum brevium pictum est, paullo obliquarum, flavido-cinerearum, coniunctim spatium aeque circiter atque frons dimidia latum occupantibus, angulos duos apice plus minusve late interruptos formantium; maculae paris 1-mi arcum pallidum anticum saepissime non attingunt; paullo pone maculas paris secundi angulus tertius conspicitur integer, ex lineis tenuissimis constans, cuius apex fere in dimidiâ dorsi longitudine iacet. Nonnunquam intervallum vittarum paris 1-mi, punctis pallidis carens, paullo obscurius coloratum est, quam partes in latere exteriore harum macularum sitae; magis sibi constantes sunt maculae nigricantes aut nigro-fuligineae, utrimque quatuor, in series duas inter se fere parallelas dispositae: in latere exteriore vittarum paris 2-di et pone apices anguli 3-ii sitae et partibus externis respondentes angulorum, e quibus pars postrema areae dorsualis, ut supra dictum est, constat; rarius maculae similes, minus expressae, in latere exteriore vittarum paris 1-mi inveniuntur. In abdomine a latere viso partes supremae parietis antici et laterum flavido-cinereae limbum formant pallidum, vittis obliquis e maculis et punctis badio-fuligineis constantibus, utrimque ternis, interruptum, saepius perparum expressum. Partes inferiores parietis antici et laterum badiae et fuligineae, flavido-cinereo lineatae et punctatae (in lateribus, praesertim infra). Venter secundum totam longitudinem (epigastrio excepto) vittâ latâ badio-fuligineâ ornatus, ad eam cinereo-flavidus, latera versus obscurior: badio punctatus. Ad mamillas nonnunquam puncta utrimque terna nigricantia conspiciuntur, saepius in cingulum parum expressum confusa.

Occurrunt exempla similem in modum picta, vittis et angulis pallidis plus minusve bene expressis, sed colore areae dorsualis dominanti multo pallidiore: non badio-fuligineo sed fulvo aut fere isabellino, maculis nigricantibus modo omnibus decem distinctis, modo anticis aut anticis et postremis aut denique omnibus deletis. In aliis dorsum abdominis cinereo-flavidum est, vix vestigiis picturae ex angulis pallidis — e quibus nonnunquam 4-tus solus, mediocriter quidem, expressus est — constantis ornatum, punctis nigris pictum 6 (paribus macularum nigricantium: 2-do, 3-io, 4-to respondentibus) aut 4 (pari 2-do et 3-tio) aut duobus tantum (par 2-dum). In talibus exemplis, pallide coloratis, latera

et venter parum aut non pallidiora sunt quam dorsum, venter paene concolor.

Specimina obscure colorata *varietatis ornatae* eo insignia sunt, quod area limbo pallido limitata — dimidium aut $^3/_5$ latitudinis abdominis occupans, marginibus maximam partem parum inaequalibus, postice solum ita excisa, ut restent anguli duo inter se coniuncti — margines versus obscurior est quam in medio, quum in exemplis typicis partes ceteris obscuriores, sive maculae nigricantes supra commemoratae, lineae medianae propius sitae sint. Exempli, quod ceteris obscurius coloratum vidi, area dorsualis secundum medium badia est, marginibus lateralibus latis et apicibus angulorum postice annexorum fuligineis, anguli pallidi sat bene expressi. In aliis margines fuliginei areae dorsualis plus minusve in maculas utrimque ternas divulsi sunt, quarum quatuor anteriores nonnunquam evanescunt. Area dorsualis colore nonnunquam parum differt a limbo; illa flavido-cinerea angulis pallidis parum expressis aut omnino deletis, hic ochroleucus dense pallide-fusco reticulatus, in universum pallide melleus. Limbus saepissime evidenter aut insigniter pallidior est quam laterum partes inferiores, ab eis lineâ angustâ, e punctis et lineolis fuligineis compositâ, parum inaequali, distinctus; rarissime linea haec deleta invenitur et limbus quam latera non evidenter pallidior.

Exempla obscure colorata *D. diligentis* typici et *var. ornatae* primâ fronte adeo inter se differunt, ut pro speciebus diversis haberi possint; attamen limbus pallidus, in exemplis his distinctissimus, in dilutius coloratis sensim evanescit ita, ut de speciminibus pallidissimis non certo decerni possit, utrum ad typum an ad varietatem pertineant.

Desiccati abdominis pictura similis videtur atque humefacti (pleraque exempla nostra detrita sunt). *Cephalothoracis* latera lineis albis duabus angustis ornantur, alterâ in summo margine sitâ, alterâ parum ab eo remotâ et a partibus superioribus lineâ nigrâ subnudâ distinctâ, quae linea nigra etiam in lateribus faciei conspicitur oblique sursum, oculos anticos medios versus adscendens. Facies lineâ transversâ, angustissimâ, nigrâ, nudâ in partes duas divisa; pars superior tota (marginibus superioribus oculorum inclusis) pube densâ, laete miniato-aurantiacâ tecta, pars inferior autem pube albâ aut straminea, longissimâ densâ pendenti, mandibularum partem magnam occultanti; linea transversa nigra in latera partis cephalicae extenditur, ubi paullo latior fit, leviter adscendit, sub oculis seriei 2-ae finitur. Praeterea latera faciei infra lineâ utrimque ornantur obliquâ nudâ nigrâ, modice definitâ, e lateribus partis cephalicae huc productâ, ut supra dictum est; apices harum linearum lineam nudam subocularem non attingunt, sed ab eâ

spatio latiusculo distant. Latera partis cephalicae inter oculos pube miniato-aurantiacâ teguntur, inferius autem pube albâ, cuius pars quaedam, apice lineae commemoratae nigrae desecta, dentem format anteriora versus directum, sub oculo antico laterali in apicem acutum desinentem. Partis thoracicae latera et dorsum, pube parum densâ, albâ aut stramineâ et pro parte maiore aut minore luteâ tecta, nullam picturam evidentiorem ostendunt. Inter oculos posticos cephalothorax maculâ albâ ornatur, modice definitâ, formâ varianti, postice a pube albidâ, quâ dorsum partis thoracicae tegitur, modo distinctâ, modo cum ea confusâ; praeterea area oculorum, quae badia aut fuliginea est, in utroque latere maculâ ornatur albâ, non procul ab oculo seriei 2-ae, paullo pone eum sitâ, ad marginem anticum medium autem squamae saepissime inveniuntur albae, plerumque paucae, maculam formantes plerumque minutam, inter oculos anticos medios nunquam descendentem, a maculâ mediâ posterius sitâ constanter distinctam.

Pilis longis tenuibus inaequalibus, plus minusve erectis, cephalothorax et abdomen supra et imprimis pedes ornantur; pars antica areae oculorum abunde pilosa; pili in lateribus cephalothoracis sub oculis anticis et intermediis siti reliquis fortiores, fortiter curvati (procurvi), angustissime lanceolati, sive basim et apicem versus attenuati, praesertim quum a fronte adspiciuntur.

Ad *formam* feminae *Dend. diligentis* et *nidicolentis* parum inter se differunt. Margines superiores oculorum anticorum lineam designant in hoc evidenter sursum curvatam, in illo paene rectam. Epigyne utriusque speciei foveâ ornatur parum profundâ, antice et in lateribus mediocriter aut bene, postice parum definitâ, ab epigastrii margine insigniter remotâ. Quae fovea in utraque specie foveolis duabus profundioribus instructa est, in lateribus sitis; in *D. nidicolenti* foveolae hae facilius conspiciuntur, ita ut epigyne etiam foveolis duabus inter se late distantibus, in depressione levi sitis, instructa describi possit; *D. diligentis* (fig. 144) foveolae marginibus lateralibus foveae plus minusve occultantur, in araneâ ab imo adspectâ plerumque difficilius, melius autem ab imo et paullo a latere cernuntur. Facilius fortasse species hae *colore* areae oculorum et faciei distinguentur. Area oculorum *D. nidicolentis* fuliginea est, vittâ mediâ albâ ornatur integrâ, antice angustâ, inter oculos anticos medios descendenti, postice dilatatâ, in partem dorsi pone oculos sitam productâ, cum pube albidâ, quâ pars thoracica supra tegitur (modice congestâ), confusâ; in latere utroque plerumque macula parva albida invenitur, cum oculo seriei 2-ae contingens; pubes pallide colorata, quâ intervalla oculorum anticorum lateralia replentur, in cephalothorace desuper adspecto maculam format parvam, inter oculos anticos

medium et lateralem sitam[1]). Facies plerumque tota pube tegitur albâ aut cremeâ, inter oculos plerumque paullo obscurius coloratâ quam infra eos; non raro in intervallis oculorum lateralibus pili inveniuntur immixti mellei aut ferruginei (pubi respondenti *D. diligentis* parum similes), rarius etiam in intervallo medio; etiam tum restat tamen pars superior intervalli medii albido pilosa; facies lineâ nigrâ simili atque in *D.diligenti* — acutâ, nudâ — caret; latera partis cephalicae ornantur quidem nonnunquam (in vivis fortasse constanter) sub oculis seriei 2-ae et anticis lateralibus lineis nudis, quae tamen in facie marginem exteriorem oculorum mediorum tantum attingunt, neque sub oculos hos descendunt.

Feminae *D. diligentis* non parum variant staturâ: 5·5—9·6 mm. longae sunt, cephalothorace 2·4—3·5 mm. longo.

Mas *D. diligentis* typici 4·6—6·5 mm. longus, cephalothorace 2·2—3·5 longo, feminae similis, differt ab eâ marginibus superioribus *oculorum* anticorum lineam leviter sursum curvatam designantibus, mandibularum formâ, pedibus anticis longioribus, faciei colore. *Mandibulae* paene directae, duplo fere longiores quam latiores, apicem versus parum angustatae, apice paene transverse truncatae, angulo interiore late recte desecto; earum dorsum prope a latere exteriore carinâ acutâ ornatum circiter in $^1/_4$ longitudinis initium capienti, infra incurvatâ et apicem mandibulae fere attingenti, fortiter in transversum rugosum, in latere exteriore carinae tamen laevigatum, pilosum praesertim in parte interiore, sed squamis carens; in angulo interiore truncaturae apicalis obliquae mandibula dente sat forti brevi ornatur, et ad eum, superius, denticulo minutissimo, qui difficilius conspicitur, in margine postico sulci unguicularis autem dente uno, item forti, lato, acuto; unguis mediocri longitudine et crassitudine, apicem versus aequabiliter attenuatus, basi subter levissime sinuatus. Exempli cephalothorace 3·5 mm. longo femur *pedum* I. 2·34, patella 1·62, tibia 1·9, metatarsus 1·14, tarsus 0·73, pedum II. partes: 1·62, 1·26, 1·04, 0·81, 0·5, pedum III.: 1·56, 0·94, 0·91, 0·91, 0·52, IV.: 1·8, 1·07, 1·24, 1·04, 0·55; exempli cephalothorace 2·2 longo partes pedum I.: 1·1, 0·8, 0·87, 0·61, 0·44, II.: 0·97, 0·65, 0·55, 0·43, 0·39, III.: 0·95, 0·53, 0·52, 0·52, 0·42, IV.: 1·1, 0·58, 0·73, 0·65, 0·42 longae. *Oculorum* cinguli angusti, supra auran-

---

[1]) Talem in modum picta sunt saltem exempla *Dendr. nidicolentis* a Bol. Kotula in Austria inferiori collecta, quae a speciminibus *Dendr. nidicolentis* Dalmaticis, a Com. E. a Keyserling dono mihi datis et, ni fallor, a Cel. E. Simonio hoc nomine appellatis, — detritis — distinguere non possum.

tiaci, infra albidi; infra oculos facies pilis dispersis fulvis ornatur, quibus color cutis parum mutatur.

Color corporis humefacti similis atque feminarum obscurius coloratarum, minus varians. Dorsum abdominis limbo pallide colorato ornatur, modo angusto et parum distincto, modo sat lato et optime expresso, sive colore ab areâ dorsuali obscurâ et a parte inferiore laterum insigniter distincto. A mare, quem *var. ornatae* adscribo (fig. 128), mares typici differunt ad colorem corporis humefacti eo, quod area dorsualis postice utrimque vittâ pallidâ obliquâ, intus et anteriora versus directa, pro parte interrupta est et in partes duas divisa valde inaequales, quarum posterior modo ex arcubus aut angulis duobus obscuris recurvis constat.

Simillimus est mas *D. diligentis* mari *D. nidicolentis*, non differre ab eo videtur nisi paullulum cephalothoracis et palporum formâ et mandibulis squamis albis carentibus (*D. nidicolentis* mandibulae squamis angustis albis in dorsi angulo interiore sub clypeo ornantur in omnibus exemplis, quae vidi). Paullo latior est cephalothorax *D. nidicolentis*, ex. gr. 3·13 longus, 2·48 latus (=1·26:1), 3·09 lg., 2·40 lt. (=1·29:1), 2·51 lg., 1·89 lt. (=1·33:1), 2·19 lg., 1·60 lt. (=1·37:1), 1·75 lg., 1·31 lt. (=1·33:1); *D. diligentis*: 3·21 longus, 2·33 latus (1·38:1), 2·59 lg., 1·82 lt. (1·42:1), 2·19 lg., 1·57 lt. (1·57:1). Variat tamen forma cephalothoracis in utraque specie: in *D. nidicolentis* exemplis staturâ magnâ cephalothorax sub oculis posticis latissimus est, posteriora versus levissime angustatus, in mediocribus latera ab oculis his posteriora versus inter se parallela sunt, in parvis denique latera leviter rotundata a medio cephalothorace posteriora versus ne minime quidem fortius inter se approquinquant quam anteriora versus; in *D. diligentibus* maximis, quos vidi, cephalothorax ab oculis posticis posteriora versus paullulum angustatus est, in mediocribus et parvis in medio latissimus et inde anteriora et posteriora versus aequabiliter angustatus. Sub oculis posticis cephalothorax *D. nidicolentis* latior est quam *D. diligentis*, ita ut antice constanter fortius sit angustatus et oculi hi desuper adspecti a margine cephalothoracis in exemplis magnis circiter duplâ diametro, in minimis diametro saltem distent; in *D. diligenti* intervallum hoc etiam in maximis exemplis diametro non maius est saltem, in minimis radium oculi vix aequat.

Palpi *D. diligentis* (fig. 140, 141) palpis *D. nidicolentis* (fig. 148) simillimi sunt, adeo ut vix distinguantur. Pars femoralis formâ vulgari, dorso setis longis ornato et aculeis: prope medium uno longo gracili, prope apicem uno brevi, parum gracili, praeterea nonnunquam non procul a basi in dorso aculeo gracili et prope apicem in latere anteriore

aculeo brevi instructa. Pars patellaris paullo longior quam latior, lateribus parallelis; tibialis eâ fere duplo brevior, paullo angustior, apice in latere exteriore processu ornata quam pars ipsa longiore, paene porrecto (paullulum foras directo), gracili, compresso, leviter deorsum curvato, a basi usque ad medium fere paullulum adscendenti, tum apicem versus paullulum descendenti. Lamina tarsalis paullo plus dimidio longior quam pars patellaris cum tibiali, eâ paullo latior, plus duplo longior quam latior, fere a basi apicem versus paullulum angustata, apice (desuper viso) truncato, ad marginem exteriorem sub processu tibiali in tuberculum parum evidens elevata. Bulbus genitalis in palpo desuper adspecto ad basim laminae tarsalis intus tuberculi instar mediocris, rotundati, prominet; rostrum laminae tarsalis dimidiam bulbi longitudinem aequat saltem, ad marginem interiorem in sulcum longum, latum, pro receptione emboli excavatum est. Bulbus genitalis ab imo visus e partibus duabus constare videtur: basali transversâ, basi late rotundatâ, sub partem tibialem vix productâ, in latere interiore rotundatâ, foras dilatatâ, in latere exteriore fere $^1/_3$ longitudinis totius partis tarsalis occupanti, — et ex parte apicali angustiore, obliquâ triangulari, a latere interiore, ubi in angulum acutum desinit, anteriora versus et foras directa, marginem exteriorem laminae tarsalis non attingenti; margo exterior partis huius in longitudinem directus est, leviter arcuatus, cum embolo sinum includere videtur insigniter profundiorem quam latiorem, a fundo usque ad medium saltem aequabilis latitudinis, ostium versus dilatatum (qui sinus ab imo et a latere exteriore visus aliam habet formam!). Embolus, sive spina longa gracilis nigra, in palpo ab imo viso angulo apicali exteriori partis basalis bulbi innatus videtur (basis eius, curvata, in palpo ab imo et a latere exteriore viso conspicitur), margini laminae tarsalis exteriori proximus, apicem versus leviter incurvatus, apicem laminae attingit.

Lamina tarsalis *D. nidicolentis* latior est, modo duplo longior quam latior; in palpo ab imo viso basis emboli conspicitur, embolus itaque multo fortius curvatus videtur et cum margine opposito bulbi genitalis — paullo obliquo — sinum includit a basi dilatatum. Processus tibialis omnino eandem formam habet atque in *D. diligenti*[1]).

Mas *varietatis ornatae* (fig. 128), unicus, 5 mm. longus est, cephalothorace 2·6 longo, 1·9 lato, in lateribus ovato, antice latiore, postice

[1]) Processus hic in omnibus exemplis *D. nidicolentis*, quae vidi, totus leviter deorsum curvatus est, basi paullulum sursum et modo a medio leviter deorsum directus, neque a basi ipsâ deorsum flexus, uti scripsit Cel. E. Simon in: Études arachnologiques. XXI. Matériaux pour servir à la Faune arachnologique des îles de l'Océan Atlantique. (Ann. Soc. Entom. France. 1883, pag. 261).

rotundato-truncato, sub oculis posticis 1·8 lato. Area oculorum in cephalothorace directo desuper adspecto 1·09 longa videtur, antice 1·46, postice 1·60 lata est. Dorsum *cephalothoracis* a latere adspectum ab oculis posticis posteriora versus parum modo, anteriora versus autem paullulo fortius et inaequabiliter descendit. Puncta media *oculi* seriei 2-ae et oculi postici lineam sublibratam (posteriora versus parum descendentem), margo superior oculi lateralis antici cum margine inferiore oculi postici lineam paene libratam designat. Oculi postici inter se ca. dimidio longius quam a margine cephalothoracis distant. Oculi seriei 2-ae circiter $1^1/_3$ longius a posticis quam a lateralibus anticis remoti; antici laterales posticis subaequales; anticorum mediorum diameter duplo fere maior quam lateralium; intervalla horum oculorum omnia parva, lateralia medio tamen evidenter maiora, margines superiores lineam designant parum sursum curvatam. Clypeus (pube valde densâ tectus) medius altitudine $^1/_3$ diametri oculorum mediorum paullo superare videtur. *Mandibulae* ca. 1·0 longae, parum breviores quam ambae simul sumptae latae sunt. *Palporum* pars femoralis supra apicem versus aculeo 1 forti ornata; ceterum palpi nullâ re differunt a palpis *D. diligentis* typici. *Pedum* anticorum, qui reliquis multo crassiores sunt, coxae non totâ latitudine labii inter se distant; femora omnia supra aculeis 1.1 gracilibus, paullo arcuatis, sive setis crassis instructa et apicem versus aculeis brevioribus ornata: sex anteriora binis in latere antico, sex posteriora singulo supra, III. in latere postico et IV. in latere utroque aculeo 1; patellae inermes; pedum I. tibiae subter aculeis 2.2.2 et metatarsi subter 2.2, omnibus brevibus, pedum II. tibiae prope medium latus anticum aculeo 1, subter ad latus anticum in dimidio apicali 1.1, ad posticum 1.1.1, metatarsi subter 2.2, pedum III. tibiae in latere antico prope medium 1, in postico 1.1, subter in apice 2, metatarsi in apice et ad eum aculeis 5 aut 6, pedum IV. tibiae subter aculeo 1 pone basim ad latus anticum et in apice 2, in latere postico 1.1, metatarsi in apice et ad eum aculeis 5 (6?) ornati. Pedum I. femur 1·75, patella 1·20, tibia 1·49, metatarsus 1·02, tarsus 0·66, pedum II. partes: 1·20, 0·76, 0·76, 0·58, 0·44, pedum III.: 1·13, 0·61, 0·66, 0·66, 0·44, IV.: 1·28, 0·76, 0·87, 0·76, 0·44 longae. *Abdomen* mamillis exclusis, 2·7 longum, 1·5 latum, paene ellipticum, antice sat late rotundato-truncatum, cute molli tectum, mamillis prominentibus.

Humefactus *cephalothorax* fuligineo-latericius, inter oculos posticos maculâ mediocri fulvâ, parum definitâ ornatus; area oculorum in medio late et ad oculos nigricans. *Abdominis* dorsum in lateribus et antice limbo sat lato, optime expresso, dilute fulvo-flavido cinctum; area dorsualis e vittis tribus constat, quarum laterales fuligineae, duplo circiter

angustiores quam media, margine interiore paullo inaequali, sed nusquam manifeste interruptae sunt; vitta media dilute latericia, magnam partem vittis brevibus sordide flavidis repletur his: in dimidio anteriore paria vittarum dua sita sunt fere in longitudinem directarum, pone ea in dimidio posteriore anguli duo fere recti, apice anteriora versus directo; porro angulus similis, sed in medio latissime interruptus sive ad puncta duo redactus; supra mamillas angulus minor geminatus, antice in latere utroque colore fuligineo limitatus et postice puncto fuligineo repletus. Pars inferior laterum abdominis dilute flavida, densissime lineolis nigrofuligineis tecta; venter pallide sordide flavidus, densissime minute cremeo-maculatus, secundum medium vittâ elongato triangulari, totam fere longitudinem (epigastrio excepto) occupanti, umbrinâ, intus pallidiore, ornatus; in utroque latere ventris prope a mamillis punctum nigrum. *Palpi* dilute flavo-testacei, apicem versus obscuriores. *Pedes* antici reliquis multo obscuriores, rufo-umbrini, colore fuligineo abunde picti aut suffusi, praesertim in femoribus subter (et supra), in patellis apicem versus, in tibiis, in metatarsis; tarsi testacei. Pedes sex posteriores sordide flavidi, colore rufo paullo suffusi et colore umbrino passim tincti, picturâ evidentiori carent. *Sternum* rufo-umbrinum, coxis — sex posterioribus saltem — multo obscurius.

Cephalothorax desiccatus (fig. 128) supra squamis modo paucis, elongatis, instructus, quibus color non aut parum mutatur (nonne detritus?); clypeus et latera fere tota squamis longis angustissimis, sive pilis paullo complanatis, confertis albis tecta; quae pubes in cephalothorace desuper adspecto utrimque limbum format latum, antice sensim angustatum, marginem exteriorem oculorum posticorum attingentem, margine interiore ab oculis his posteriora versus et intus directo, fere recto, marginem posticum cephalothoracis fere attingentem; spatium vittis his inclusum paene triangulare est, apice (postice) late truncatum et circiter duplo et dimidio angustius quam area oculorum. Ipse margo cephalothoracis lateralis nudus est, subter modo pilis albis, lineam angustissimam formantibus ornatus; supra eum in dimidio anteriore pubes alba conferta lineam format latiusculam, supra lineâ minus dense albo pilosâ, itaque obscuriore, modice expressâ limitatam; in cephalothoracis dimidio posteriore linea alba supramarginalis evanescit, et limbus ille latus albus, quem supra commemoravimus, spatio latiore a margine cephalothoracis distat. Facies pube eundum in modum atque in feminis ornata (cinguli oculorum laete aurantiaco-fulvi, infra pallidiores, flavo albidi), qua re ut et mandibulis pube densâ longâ, dilute flavâ tectis, apicem versus modo subnudis mas hic imprimis (et fere unice) a maribus *D. diligentis* typicis differt. *Palpi*, praeter pilos obscure co-

loratos, in parte femorali et patellari squamis albis non dense tecti, etiam in parte tibiali et in tarsali squamis albis paucis ornati. *Pedum* color squamis albis et flavidis et pilis longis, plerisque nigris, nonnullis vero albis, parum mutatur. *Abdominis* dorsum in exemplo nostro unico magnam partem detritum; squamae, quae restant paucae, elongatae, laete fulvae et aurantiacae; limbo lato albo, e pube constanti ornatur dorsum abdominis antice et in lateribus; latera abdominis sub limbo hoc fulvo et fuligineo variegata, pilis albis adspersa. *Sternum* et *venter* pube albâ, modice longâ, parum densâ tecta.

Blackwallii descriptio *Saltici diligentis* aequaliter fere quadrat in hanc speciem et in *Dendryphantam*, quem infra *D. catum* appellamus; quod tamen de picturâ abdominis dictum est (dorsum limbo albo circumdatum, supra mamillas maculâ flavo-albidâ, angulos duos inter se contingentes, fuscos includenti, ornatum describitur), melius cum hac specie quam cum *D. cato* nostro convenit.

Salticum vigilantem sine haesitatione pro synonymo huius speciei haberem, si pedes antici non posticis longiores descripti essent. — Pedes anteriores in *Attidis* non paucis longitudine insigniter variare, satis notum est (cfr. ex. gr. ea, quae de *Atto Dzieduszyckii* L. Koch in „Conspectu Attoidarum Galiciae" dixi); utrum Blackwallius re verâ feminam dimensus sit, in dubitationem vocari potest, mares enim iuniores et feminae certo difficiles sunt at distinguendum inter se, quoniam etiam adultorum palpi a palpis feminarum crassitudine parum differunt; nescio autem, an inter mares subadultos exempla inveniantur pedibus anticis iam adeo elongatis, ut longiores sint quam pedes postici.

Dendryphantes nitelinus (E. Sim.[1]), qui teste Cel. E. Simonio occurrit in insula Madera, fortasse synonymum est *D. diligentis* (Blackw.), quod tamen difficile est ad decernendum, quoniam ad hoc tempus deest descriptio subtilior illius speciei.

D. catus (Blackw.?). (Tab. IX, fig. 136—138, 142, 143, 147).

? *Salticus catus*, Blackwall 1867. Notes on Spiders, cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 20, p. 6).

Madera; paullo rarior videtur quam *Dendryphantes diligens* (Blackw.) *typicus*. Species praecedenti valde affinis, colore valde varians.

Femina 4·5—6 mm. longa. *Cephalothorax* 1·95—2·25 longus, 1·40—1·65 latus, in medio fere latissimus, anteriora versus leviter angustatus, ad oculos anticos 1·24—1·38 latus, sub oculorum serie 3-â

[1]) *Attus nitelinus* E. Simon, 1868. Monographie des espèces européennes de la famille des Attidae, p. (23.) 33, & 1869. Révision des Attides européens, p. 140 (16). — *Attus castaneus* E. Simon 1868. Monographie cet., p. 31 (21).

quam series haec non aut perparum latior. Area *oculorum* 0·97—1·10 longa, quadrangulus oculorum 0·81—0·94 longus, postice latior quam antice (in exemplis minoribus $^1/_{13}$, in maioribus fere $^1/_9$ parte), antice paene dimidio aut (in maioribus) $^4/_9$ latior quam longior. Oculi seriei secundae spatiis subaequalibus ab anticis lateralibus et a posticis remoti. Oculi antici marginibus superioribus lineam subrectam (levissime sursum curvatam) designant, inter se spatiis minutis distant, laterales diametro circiter $^3/_5$ diametri mediorum aequant, oculis posticis subaequales sunt. Clypei pars superior, cornea, humilis, sub oculis mediis altitudine circiter $^1/_6$ eorum diametri aequans. Puncta media oculorum seriei 2-ae et oculorum posticorum lineam sublibratam designant, margo inferior oculi postici et margo superior oculi lateralis antici in lineâ sublibratâ iacent. *Dorsi* pars pone oculos sita paene librata evidenter brevior quam area oculorum et quam declivitas postica, illa anteriora versus leviter descendens et leviter arcuata, haec modice praerupta et levissime excavata. Arcus superciliares oculorum posticorum modice expressi et mediocriter alti. Sulcus ordinarius brevis valde, sat longe a serie oculorum 3-â remotus, in impressione situs transversâ diffusâ, adeo vadosâ, ut non nisi in cephalothorace detrito cernatur. Secundum margines laterales cephalothorax carinulâ humili ornatur, quâ limbus nudus secluditur circiter 0·05 mm. latus. Ceterum cephalothorax caret impressionibus evidentioribus. *Mandibulae* circiter dimidio longiores quam latiores, coniunctim aeque circiter latae atque spatium ab oculis anticis mediis occupatum, paene directae, apicem versus paullo angustatae, apice parum oblique truncatae, in angulo interiore, qui leviter rotundatus est, dente brevi acuto et supra eum denticulo minuto, in sulci unguicularis margine postico autem dente maiore lato triangulari compresso instructae; dorsum in transversum convexum, transverse plicatum, pilis longis dispersis ornatum, pube adpressâ carens (in eâ parte saltem, quae pube clypei pendenti non obtegitur); unguis modice longus, basi subter levissime sinuatus, apicem versus aequabiliter curvatus et attenuatus. *Maxillarum*, quae magnam partem coxis pedum I. occultantur, margo apicalis angulum format latum, crure interiore quam exterius breviore; earum pars ultra labium prominens eo duplo fere brevior; labium circiter $^1/_3$ longius quam latius, apice omnino rotundato. *Sternum* aeque latum atque coxae III. subter longae sunt, duplo longius quam latius, lateribus parallelis, antice et postice paene aequabiliter angustatum, apice antico rotundato, postico acuto. *Pedes* mediocri longitudine, antici sat fortiter incrassati. Coxae anticae non totâ labii latitudine inter se remotae. Exempli cephalothorace 1·9 longo femur I. 1·16, patella 0·80, tibia 0·87, metatarsus 0·58, tarsus 0·44, pedum II. partes:

0·95, 0·65, 0·61, 0·44, 0·36, pedum III.: 1·0, 0·55, 0·58, 0·58, 0·40, IV.: 1·31, 0·65, 0·87, 0·73, 0·44 mm. longae. Coxae I. aeque circiter longae atque IV., sed eis multo crassiores, II. non multo longiores quam III., hae ceteris breviores et tenuiores, coxae I. crassiores quam II, hae crassiores quam IV. Femur I. in longitudinem supra fortiter, II. leviter arcuatum, III. et IV. a basi primo incrassatum, deinde apicem versus longe attenuatum. Femora omnia in dorso aculeis 1.1.1 instructa, praeterea ad apicem aculeis plerumque his armata: I. binis in latere antico, II. et IV. singulis, haec in latere postico, illa in antico, III. singulis in latere utroque; patellae inermes (in uno exemplo patellam dextram I. in latere antico aculeo 1 ornatam vidi); tibiae I. subter aculeis 2.2.2, II. subter apice aculeis 2, praeterea ad latus posticum 1.1. aut 1, ad anticum 1 (raro) aut 0, in latere antico 1 aut 0, III. in latere utroque aut in latere postico solum 1 (raro lateribus inermibus), subter in apice 1, IV. in latere antico 1. aut 0, in postico 1 aut 0 aut 1.1, subter in apice 1 aut 2 et non procul a basi ad latus anticum 1 ornatae; metatarsi I. et II. subter solum aculeati aculeis 2.2.2, III. et IV. apice aculeati, ceterum inermes. *Abdomen* paene ellipticum aut elongato-ovatum in dimidio posteriore angustius, mamillis exclusis 2·1—3·4 longum, $^2/_3$ aut $^6/_7$ longius quam latius. *Epigyne* (fig. 142) parum dura. Humefacta (fig. 143) arcubus duobus ornatur testaceis aut fuligineis, tenuibus, recurvatis, transverse aut oblique positis, intus inter se coniunctis aut proximis saltem, coniunctim spatium aeque circiter latum occupantibus atque intervallum longum est, quo ab epigastrii margine distant. Cum arcubus macula coniungitur margini epigastrii propior, translucens, fuliginea aut nigricans, diffusa, formâ varians, saepe in partes duas divulsa. Arcus marginibus anticis foveolarum duarum respondent, inter se distinctarum aut saepius in foveam unam coniunctarum, vadosarum, postice apertarum, antice in fissuras abeuntium, quod non nisi in abdomine ab imo et a parte posticâ viso conspici potest. Pars epigastrii foveolis et margini postico interiecta nitida glabra est.

Cephalothorax humefactus badius, rarius obscurior fuligineus, non raro pallidior, nonnunquam pallide ferrugineus; area oculorum antice et in lateribus nigricans; summus margo cephalothoracis, angustus, niger, raro (in exemplis valde pallidis) non obscurior quam latera; supra cephalothorax plerumque vittâ ornatur mediâ, plus minusve pallidâ (latericiâ, ferrugineâ, obscure ochroleucâ), forma non parum varianti, in parte thoracicâ plerumque aeque circiter latâ atque tibiae posteriores, ad marginem posticum dilatatâ, in parte cephalicâ autem adeo diffusâ, ut maximam partem areae oculorum occupet et in eâ maculam formet margines versus saepe insigniter pallidiorem, quam vittae pars posterior, in

medio plerumque pari macularum ornatam parvarum nigricantium, parum definitarum, nonnunquam inter se confusarum, non raro omnino evanescentium. In exemplis nonnullis vix vestigia picturae huius cernuntur. *Mandibulae* pallide ferrugineae aut pallide flavidae colore fuligineo suffusae; *maxillae* eis paullo pallidiores, apice nigro marginato; *labium* obscurius, fuligineum apice pallidum, rarius fulvum; *sternum* ochroleucum aut fulvum, marginibus parum aut non obscurioribus; *palpi* toti pallide flavidi aut pallide testacei parte tarsali basi infuscatâ, ceterum pallide flavidâ. *Pedes* pallide flavi aut pallide testacei, antici ceteris plus minusve obscuriores; plerumque carent pedes maculis obscuris, nonnunquam femorum anteriorum margo apicalis inferior anticus maculâ nigricanti parum expressâ ornatur. In exemplis colore obscuro insignibus pedes antici badio-fuliginei, femoribus subter basi et prope medium et prope basim in latere exteriore maculis singulis parum expressis pallidioribus ornatis, patellis et tibiis in lateribus obscurioribus quam supra et subter, metatarsis et tarsis pallide flavo-testaceis; pedes II. pallide fulvi, femora in latere utroque colore fuligineo picta praesertim apicem versus, latere postico in fundo fuligineo maculis pallidis magnis ornato, oblongâ in dimidio basali et rotundatâ in apicali, patellae et tibiae in latere utroque vittâ fuligineâ ornatae, praesertim in basi tibiarum distinctâ, metatarsi basi obsolete infuscati; pedes III. et IV. parum obscuriores quam II., femoribus basi exceptâ in lateribus et subter fuligineis, subter prope apicem maculâ pallidâ ornatis, patellis apicem versus subter maculâ fuligineâ pictis, tibiis et metatarsis basi anguste fuligineo annulatis, tibiis III. praeterea in utroque latere fuligineo late lineatis. *Abdominis* pictura (fig. 136—138) eadem fere atque exemplorum *D. diligentis* limbo pallido distincto carentium et fere non minus varians. Anguli tamen obscuri duo postici, angulis eis respondentes, quibus area dorsualis illius finitur, hic inter se in lateribus coniuncti sunt et desuper adspecti abdominis latera prope mamillas attingunt. Maculae pallidae anticae saepissime arcum pallidum anticum attingunt et antice inter se plus minusve coniunctae sunt, aut inter se — ut etiam maculae paris 2-di et 3-tii — spatio angusto (neque lato) distinguuntur. Macula paris III. utraque plerumque cum maculâ II. respondenti confusa; si distincta est, insigniter crassior esse solet, quam in specie priori. Ex maculis illis 8 nigricantibus, quibus dorsum speciei prioris saepe ornatur, quatuor anteriores solae plus minusve expressae sunt, quatuor posteriores desunt. Pictura e maculis pallidis constans angustior quam in priore. Laterum et ventris color similis. Mamillae infimae pallide ferrugineae, supremae plerumque obscuriores, colore fuligineo suffusae. — In exemplo, quod vidi pallidissime coloratum, ab-

dominis color medius fere est inter pallide isabellinum et pallide melleum, dorsum abdominis secundum medium paullulum pallidius quam latera, pictura tota deleta exceptis vestigiis macularum nigricantium in dorso fere medio et circiter in $^3/_4$ longitudinis sitis et punctis nigricantibus binis in utroque latere mamillarum.

Cephalothorax pube tectus supra densâ, in lateribus supra modice densâ, inferius dispersâ, e squamis constanti valde angustis, plerisque albis et stramineis, nonnunquam etiam fulvis (praesertim prope oculos in lateribus partis cephalicae), picturâ evidentiori caret, nonnunquam vittâ mediâ albâ parum definitâ et varianti ornatur; squamae albae in summo margine cephalothoracis lineam formant angustissimam modice expressam; supra eam latera lineâ aliâ albâ angustâ ornantur, supra spatio subnudo limitatâ. Cinguli oculorum anticorum modo flavido-albi, modo pallidius aut obscurius flavi, nonnunquam pro parte (in margine externo inferiore oculorum mediorum) aurantiaci, subter saepe pallidiores quam supra. Sub oculis facies pube longâ densâ tegitur albâ aut colorem flavum paullo sentienti, pro parte pendenti et partem mandibularum occultanti. Pubes haec a pube obscuriore sub oculis mediis lineâ distinguitur nigrâ subnudâ, multo minus expressâ quam in *D. diligenti;* sub oculo laterali utroque facies lineâ latiori sublibratâ nudâ ornatur, marginem exteriorem oculi medii infra attingenti, in latus partis cephalicae, ut in *D. diligenti*, productâ. *Palporum* et *pedum*, pube albâ adpressâ breviori et longiori patenti non densâ ornatorum, color idem fere atque humefactorum. *Abdominis* desiccati pictura similis fortasse atque humefacti, color pallidior (exempla nostra omnia non parum detrita sunt).

Mas feminae similis, 3·5—4·5 longus. *Cephalothorax* 1·75—2·2 longus, 1·2—1·45 latus, ad oculos anticos 1·02—1·24 latus, a parte latissimâ usque ad ipsos oculos anticos laterales paene aequabiliter angustatus lateribus paullulum arcuatis, sub serie 3-tiâ oculorum quam series haec non latior in exemplis parvis, in maximis circiter $^1/_4$ diametri oculi latior. Area *oculorum* 0·95—1·09 longa, quadrangulus oculorum 0·80—0·94 longus, latere postico $^1/_{13}$—$^1/_8$ longiore quam anticum (in exemplis magnis minus dilatatus videtur quam in parvis), antice dimidio aut $^4/_9$ (in maioribus) latior quam longior. Margines superiores oculorum anticorum lineam paullulum sursum curvatam designant. Margo inferior oculi seriei 2-ae plus quam diametro oculi altius iacet quam margo superior oculi lateralis antici, hic margo autem cum margine inferiore oculi postici lineam designat anteriora versus paullo descendentem. Area oculorum antice fortius quam in feminâ declivis. *Mandibulae* paullo plus dimidio longiores quam latiores; earum dorsum de-

planatum, prope a latere exteriore carinâ longitudinali ornatum, neque basim neque apicem ipsum mandibulae attingenti, pilis pallide fulvis modice congestis pilosum, scabrum, subopacum, in parte externâ laevigatum et magis nitidum. *Palpi* (fig. 147) similes atque in *D. diligenti* et *D. nidicolenti*, non differre videntur nisi parte basali interiore bulbi genitalis minus prominenti et latere exteriore partis apicalis multo fortius obliquo quam in *D. nidicolenti*. *Pedes* antici paullo minus quam in feminâ incrassati, longiores. Exempli cephalothorace 2·15 longo femur I. 1·38, patella 1·02, tibia 1·27, metatarsus 0·91, tarsus 0·58, partes pedum II.: 0·87, 0·61, 0·58, 0·47, 0·37, pedum III.: 1·00, 0·55, 0·55, 0·53, 0·39, IV.: 1·20, 0·62, 0·76, 0·68, 0·42, alius exempli, cephalothorace 1·71 longo, partes pedum I.: 0·95, 0·65, 0·80, 0·61, 0·44, II.: 0·80, 0·48, 0·45, 0·39, 0·32, III. 0·71, 0·42, 0·42, 0·42, 0·34, IV.: 0·97, 0·48, 0·57, 0·47, 0·36 mm. longae. Coxae I. evidenter longiores quam IV., II. quam III. Femora II. et III. in latere utroque ad apicem saepe aculeis binis instructa, ceterum pedum armatura similis atque in feminâ et ut in illâ paullo mutabilis. *Abdomen* 1·7—2·3 longum mamillis exclusis, fere duplo aut $^3/_5$ longius quam latius, forma simili atque in feminâ.

Maris *humefacti color* similis atque feminae, modice obscurus aut pallidus; palpi pallide flavi, apicem versus colore fusco suffusi, bulbus genitalis magnam partem fulvus, processus tibialis maximam partem et embolus nigri.

Mas *desiccatus* non differre videtur a feminâ nisi faciei colore: cinguli oculorum albi aut cinereo-albi, clypeus pube tectus minus densâ, breviore, mandibulas parum obtegenti, albidâ, marginem versus praesertim sub oculis mediis autem pallide ferrugineâ; linea pubem clypei a pube sub oculis sitâ distinguens nulla aut parum expressa; mandibulae pilis albidis aut flavescentibus modice dense tectae.

Dubium synonymum huius speciei est *Salticus catus* Blackw., ut cuius pedes 3 ii paris anticis longiores describantur Ceterum non male quadrat descriptio in hunc *Dendryphantam*, qui in insula Madera non rarus videtur.

D. cato valde affinis est *D. Moebii* Boesenb.[1]) ex insulâ Teneriffa, differt tamen epigynae formâ; haec foveâ ornatur antice margine recurvato, neque ex arcubus duobus composito limitatâ, et maculis duabus nigricantibus picta est a margine hoc remotis, neque cum eo, ut in

[1]) Beitrag zur Kenntnis der Arachnidenfauna von Madeira und den Canarischen Inseln. (Abhandl. aus dem Gebiete d. Naturwissenschaften. Bd. XIII.) pag. 10, fig. 12 a, b, c, d.

D. cato, contingentibus. Facies pube fulvâ maximam partem tegitur, triangulo albo ornatur, cuius basis partem mediam clypei occupat, apex intervallum medium oculorum anticorum mediorum attingit, et utrimque vittâ albâ, inter oculos medios et laterales initium capienti, deorsum et foras directâ, in capitis lateribus evanescenti. Maris cephalothorax (secundum figuram 12*a* l. c.) multo fortius dilatatus est quam in specie nostrâ.

D. (?) Grantii (Warburt.). (Tab. IX, fig. 127, 139, 146).

Marpissa Grantii, Warburton 1892. Spiders from Madeira. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 6, v. 10, p. 217, t. 14, f. 2, 3).

Sat frequens in ins. Maderâ.

Femina 5·6—8 mm. longa. *Cephalothorax* 2·6—3·2 longus, 1·75—2·2 latus, ad oculos anticos 1·38—1·71 latus, fere in medio latissimus, anteriora et posteriora versus paene aequabiliter angustatus, lateribus paene aequabiliter rotundatis, sub serie 3-â oculorum quam series haec utrimque circiter radio oculi (in exemplis magnis) aut ne radio quidem (in parvis) latior, paullo plus duplo longior quam altior. Area *oculorum* 1·09—1·25, quadrangulus oculorum 0·91—1·09 longus, antice 1·42—1·71, postice 1·56—1·82 latus. Oculi seriei 2-ae paribus fere intervallis ab anticis lateralibus et a posticis remoti. Oculorum anticorum margines superiores lineam designant paullulum sursum curvatam, intervalla parva subaequalia; lateralium diameter circiter duplo minor quam mediorum et diametro oculorum posticorum subaequalis; clypei altitudo sub oculis mediis eorum diametro circiter 6-ies minor Puncta media oculi seriei 2-ae et oculi postici, et margo inferior oculi postici cum margine superiore oculi lateralis antici lineas designant sublibratas. Pars dorsi pone oculos sita sublibrata; area oculorum anteriora versus modice, primo levius, tum fortius descendens. *Mandibularum maxillarum labii* forma eadem atque in prioribus. *Pedum* femora supra aculeis 1.1.1, praeterea ad apicem I. duobus in latere antico, II. uno aut duobus in antico, III. singulis in latere utroque, aut 2 in antico, 1 in postico, aut 1 in latere antico, IV. nullo aut singulis in latere utroque armata; patellae inermes; tibia I. subter aculeis 2.2.2, II. subter in apice 2, praeterea ad latus posticum 1.1, in latere antico prope medium nullo aut 1, III. uno aut nullo subter, singulis in latere utroque, aut uno in latere postico solum, aut denique omnino inermis, IV. subter pone basim ad latus anticum 1 aut nullo, 2 aut 1 in apice subter, 1 in latere postico aut lateribus inermibus; metatarsi quatuor anteriores aculeis 2.2 subter, posteriores apice solum aculeati. Exempli cephalothorace 2.85 longo femur I. 1·38, patella 0·95, tibia 1·09, metatarsus 0·73, tarsus 0·47, pedum II. partes: 1·16. 0·73, 0·73, 0·55, 0·40, pedum III. 1·24,

0·65, 0·65, 0·68, 0·47, IV.: 1·46, 0·84, 0·95, 0·85, 0·47 longae. Coxae I. subter 0·73, II.: 0·49, (postice 0·60) III.: 0·55, IV.: 71 longae, II. et IV. aequali fere latitudine, angustiores quam I., latiores quam III. Epigyne (fig. 146) foveâ ornatur circa 0·19—0·27 mm. latâ, vadosâ, antice limitatâ margine recurvato, paene semicirculari aut minus curvato, subacuto, cuius pars media ab epigastrii margine circiter 0·32 mm. distat; ad apicem utrumque arcus huius foveola invenitur oblonga, sat profunda, plus minusve obliqua (retro et foras directa); postice fovea modo omnino aperta est, modo margine obtuso transverso leviter procurvo, ab epigastrii margine plus quam a margine antico remoto, finitur. Fovea et spatium ei et margini epigastrii interiectum glabra nitida. In epigynâ humefactâ (fig. 139), pallide coloratâ, rarius totus margo anticus cernitur, lineam formans tenuissimam fuscam, saepius foveolae laterales solae conspiciuntur obscure coloratae; pone eas epigyne maculis ornatur nigricantibus, plus minusve transversis, inter se plus minusve coniunctis, nonnunquam perparum evidentibus, coniunctim spatium latius quam foveolae occupantibus, foveolis his saepe paullo propioribus quam margini epigastrii, cum eis nonnunquam vittis obscuris, anteriora versus divaricantibus, postice inter se contingentibus, coniunctis.

Animalis *humefacti cephalothorax* nigro-fuligineus, area oculorum plerumque maculis tribus ornata ad marginem anticum medium et in latere utroque prope oculos seriei 2-ae et 3-ae sitis, pallidioribus, plus minusve distinctis, nonnunquam in fasciam recurvatam confusis; praeterea pars thoracica postica media ceteris partibus saepe pallidior est et dorsum paullo pone aream oculorum nonnunquam maculâ pallidiore ornatur. *Mandibulae* et *labium* nigro-fuliginea, hoc apice pallidius; *maxillae* rufo-fuligineae, apice pallidiores. *Palporum* pars femoralis rufo-flavida, pars patellaris eâ paullo obscurior, tibialis latericia, tarsalis latericia apicem versus pallidior. *Pedes* antici reliquis multo obscuriores, fuliginei colore rufo suffusi, femoribus pro parte et metatarsis et tarsis, basi exceptâ, badiis; ceteri pedes pallidius aut obscurius fulvi, femoribus pallidioribus, plus minusve distincte fuligineo maculati aut annulati in femoribus apicem versus, in patellis subter et in lateribus, in tibiarum basi et apice, in metatarsorum basi. Abdomen (fig. 127) supra fuligineum, colore pallide fulvo-cinereo pictum, hoc colore etiam punctatum et lineatum praesertim in lateribus tertiae partis anticae, hic itaque pallidius. Antice dorsum abdominis arcu pallido ornatur parum lato, in latera parum aut non producto; cum quo arcu vittae contingunt duae, longitudinales paullo obliquae, circiter $^1/_4$ longitudinis occupantes, maculam includentes nigro-fuligineam cuneatam, postice latiorem; parum pone apices harum vittarum arcus iacet transversus recurvatus, tenuis,

totam latitudinem dorsi occupans, non semper distinctus; cum parte mediâ arcus huius macula coniungitur, antice aeque circiter lata atque spatium vittis anticis occupatum, lateribus posteriora versus foras curvatis, margine postico in angulum exciso, itaque in ramos duos breves latos, apice truncatos, foras et retro directos, divisa; pars haec postica maculae circiter $^1/_2$ aut $^2/_3$ latitudinis dorsi occupat et cum lateribus abdominis pallide coloratis utrimque arcu coniungitur recurvato, saepissime parum expresso. Macula haec in exemplis colore pallido insignibus solis tota pallida est; plerumque autem angulum includit similem atque est ipsa, plus minusve expressum, fuligineum, cruribus foras curvatis; qui angulus nonnunquam adeo crassus est, ut e maculâ pallidâ restent margines parum lati; saepius pars antica anguli evanescit et restant apices postici, ramis maculae pallidae divaricantibus inclusi. Paullo pone apicem maculae huius pallidae, qui circiter in $^2/_3$ longitudinis iacet, area dorsualis fuliginea secundum totam latitudinem angulo persecta est pallido tenui, cuius apex anteriora versus directus saepissime paullo productus est et cum maculâ ante eum iacenti coniunctus. Pars areae obscurae postrema, angulo hoc desecta, maculam plerumque format neque latera neque apicem dorsi desuper adspecti attingentem, postice incisam, nonnunquam lineâ pallidâ tenuissimâ unâ aut duabus, in angulos fractis, parum expressis, ornatam. Area dorsualis obscura desuper adspecta antice, ubi margines eius parum definiti sunt, totam latitudinem dorsi occupat, posterius a marginibus dorsi paullo discedit et plerumque utrimque incisuris binis in lobos tres dividitur plus minusve rotundatos. Latera abdominis fulvo-cinerea, umbrino lineata et punctata, praesertim in partibus inferioribus, in superioribus autem modo anterius solum, modo hic uberius saltem, limbum formant areae dorsualis plus minusve expressum, in dimidio abdominis posteriore saltem. Ventris latera fulvo-cinerea, pars media umbrina aut fuliginea aut fere nigra vittam format ab epigastrio mamillas versus (quas non attingit) angustatam, nonnunquam antice in lineas tres divisam, latitudine insigniter variantem, in exemplis pallide coloratis evanescentem. Mamillae fulvae, umbrinae aut fuligineae; ad eas abdomen punctis utrimque ornatur binis plus minusve distinctis, quorum superiora nonnunquam cum margine postico areae dorsualis obscurae coniunguntur. Stigma tracheale plus minusve infuscatum.

Occurrunt exempla pallidius colorata, quam quae supra descripta sunt, picturâ pedum parum expressâ, areâ dorsuali abdominis postice fulgineâ, ceterum fulvo-cinereâ fuligineo maculatâ, picturâ pallidâ hanc ob rem minus definitâ quidem, ceterum tamen picturae exemplorum obscure coloratorum simili.

Cephalothorax squamis longis angustissimis, fulvis aut umbrinis modice nitentibus et albis opacis, tectus, in areâ oculorum maculis ornatur quatuor albis, formâ et magnitudine variantibus: parvâ prope marginem anticum medium, duabus maioribus prope a latere postico interiore oculorum seriei 2-ae, quartâ denique magnâ inter oculos posticos sitâ, quae nonnunquam cum maculâ anticâ mediâ coniungitur; ceteri dorsi et laterum pictura, e maculis albis in fundo fulvo aut fuligineo constans, valde mutabilis, exceptis lineis duabus albis: angustissimâ in summo margine cephalothoracis sitâ et paullo latiore, ab illâ limbo nudo, a partibus superioribus spatio angusto subnudo distinctâ. Cinguli oculorum anticorum fulvi, pallidiores aut obscuriores; pars inferior faciei pube tecta albâ longâ densâ, pro parte pendenti et mandibularum partem occultanti; quae pubes supra, sub oculis mediis lineâ libratâ limitatur optime expressâ, subnudâ; praeterea latus utrumque faciei lineâ aliâ ornatur nudâ paullo latiore, ad marginem inferiorem externum oculorum mediorum initium capienti (ubi a lineâ priore intervallo angustissimo albo distinguitur), foras et deorsum in latera cephalothoracis descendenti, in lineam eam subnudam abeunti, quâ vitta alba submarginalis latera cephalothoracis — ut supra dictum est — ornans supra limitatur. Lineae hae melius expressae sunt quam in *D. diligenti*. Supra eas pars cephalica lineis aliis nudis ornatur, sub oculis anticis lateralibus initium capientibus, in latera abeuntibus, sub oculis seriei 2-ae evanescentibus. Spatium his lineis et prioribus interiectum pube tegitur superius fulvâ, inferius albâ, ita inter se distinctis, ut alba dentem formet acutum, anteriora versus directum, apice ad marginem inferiorem externum oculorum anticorum mediorum cum pube clypeum tegenti coniunctum. *Mandibulae* squamis albis carere videntur (in parte inferiore saltem, quae pube clypei pendenti non occultatur). *Pedes* pro parte pube albâ tecti, quae in exemplis illaesis supra et in lateribus: in apice femorum, patellarum, tibiarum, metatarsorum in cingulos angustissimos congesta esse et in (patellis) tibiis et metatarsis annulos latos parum definitos, in pedibus anterioribus fortasse melius expressos formare videtur. Dorsi *abdominis* pube fulvâ et fuligineâ et albâ tecti color in universum pallidior, pictura similis sed multo minus distincta quam in animali humefacto.

Species haec, cuius mas ad hoc tempus, eheu!, ignotus est, ad genus *Dendryphantam* referenda mihi videtur, haud dubie non parum affinis est saltem *D. diligenti*, *nidicolenti*, *cato* (qui tamen nescio an non satis artâ propinquitate coniuncti sint cum *D. nastato* (Clerck), specie typicâ generis *Dendryphantae*!).

Menemerus E. Sim.

M. semilimbatus (Hahn).

Salticus semilimbatus, Hahn 1829. Monogr. d. Spinnen, t. 3, f. B.

Madera; adulti utriusque sexus. Porto Santo; mas adultus.

Pleraque exempla, non omnia tamen!, paullo obscurius colorata, quam specimina Italica ad Neapolim inventa et praesertim quam Croatica.

Euophrys C. L. Koch.

Eu. vafra (Blackw.).

Salticus vafer, Blackwall 1867. Notes on Spiders, cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 3, v. 20, p. 5). — *Attus finitimus*, E. Simon 1869. Monographie des espèces europ. de la famille des Attidae. (Ann. Soc. entom. France, 4 s., v. 8, p. 591). — *Euophrys finitima*, E. Simon 1876. Les Arachnides de France, v. 3, p. 175. — *Attus maderiana*, Warburton 1892. Spiders from Madeira. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., s. 6, v. 10, p. 217, t. 14, f. 1).

Madera; mares et feminae adultae. Porto Santo, femina unica. — Non rara videtur.

Nullâ re haec exempla differre videntur ab exemplis *Euophryis finitimae* E. Sim. in Croatiâ et in Tirolîâ collectis.

Eu. sublesta (Blackw.). (Tab. IX, fig. 124, 125, 133).

Salticus sublestus, Blackwall 1867. Notes on Spiders, cet. (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 3 s., v. 20, p. 7).

Perpaucae feminae speciei huius collectae sunt in ins. Maderâ.

Femina 2·8—3·2 mm. longa. *Cephalothorax* sublaevis (subtilissime reticulatus, praesertim antice), nitidus, 1·3 longus, circiter in $^2/_3$ longitudinis latissimus, 0·88 latus, inde anteriora versus leviter angustatus lateribus subrectis, prope oculos anticos 0·75 latus, sub serie 3-â oculorum quam series haec parum (ne quartâ parte diametri oculi quidem) latior. *Oculorum* area desuper visa 0·55 longa, quadrangulus oculorum 0·47 longus, antice 0·76, postice 0·75 latus. Margines superiores oculorum anticorum lineam designant subrectam (levissime sursum curvatam); intervalla minima; diameter lateralium $^2/_3$ diametri mediorum aequalis et aeque circiter longa atque clypeus sub oculis mediis altus est (clypei tamen pars superior — ab inferiore carinulâ, quae vix cerni potest, distincta, quam $^1/_3$ diametri oculi medii paullo humilior, — fortasse sola dura est, inferior autem membranacea et mollis); oculi postici lateralibus anticis paullulum minores; oculus seriei 2-ae oculo postico paullo propior quam laterali antico, eius margo inferior paullulum demissius situs quam margo inferior oculi postici et non totâ diametro (oculi seriei 2-ae) altius quam margo superior oculi lateralis antici.

Dorsi pars pone oculos sita, evidenter brevior quam area oculorum, posteriora versus leviter descendit, area oculorum fortius quam pars haec et antice fortius quam postice declivis. Sulcus ordinarius vix cerni potest, brevis et valde vadosus, ab oculorum areâ longe remotus, in angulo e parte dorsi sublibratâ et declivitate posticâ formato situs; ceterum caret cephalothorax impressionibus; secundum margines laterales et in clypeo cephalothorax carinulâ ornatur subtili, limbum secludenti latum (in lateribus ca. 0·08 mm.). *Mandibulae* 0·37 longae, basi ambae simul sumptae 0·33 latae, paene directae, a basi apicem versus sat fortiter et paene aequabiliter angustatae, apice intus late rotundatae et in sulci unguicularis margine antico dentibus duobus acutis, inferiore sat magno, superiore parvo, armatae, in postico autem inermes; dorsum mandibularum in transversum convexum est, transverse leviter rugosum, modice nitens. *Labium* basi fere dimidio latius quam longius, rotundato triangulare. *Maxillae* latae, apice late rotundatae, earum latera exteriora, quatenus coxis anticis non occultantur, inter se parallela, pars ultra labii apicem prominens eo parum brevior. *Sternum* circiter dimidio longius quam latius, tertiâ parte saltem latius quam coxae IV. subter longae sunt, postice acutum, antice late truncatum, ita ut coxae anticae inter se fere sescuplâ latitudine labii inter se distent, pilis dispersis ornatum *Coxae* I. subter 0·23, II. 0·21, III. 0·21, IV. 0·26 longae, omnes latitudine parum inter se discrepantes. *Pedes* anteriores posterioribus parum. crassiores. Pedum I. femur 0·57, patella 0·32, tibia 0·37, metatarsus 0·29, tarsus 0·24, partes pedum II. 0·52, 0·32, 0·31, 0·24, 0·24, pedum III. 0·65, 0·34, 0·37, 0·31, 0·31, IV.: 0·70, 0·32, 0·49, 0·39, 0·34 longae. Femora aculeis carere videntur, patellae inermes, tibiae I. subter aculeis armantur ad latus posticum 1.1.1, ad anticum 0.1.1, metatarsi subter 2.2, basalibus ultra apicem metatarsi prominentibus, apicalibus apicem tarsi fere attingentibus; tibiae II. subter ad latus posticum aculeo 1 prope medium, aut etiam 1 prope apicem instructae, metatarsorum II. armatura similis atque I.; tibia III. in utroque latere prope medium aculeo 1, in apice 0 (?), IV subter prope medium ad latus anticum 1 (saepius fortasse inermis), metatarsi III. et IV. in apice oculeis pluribus, praeterea subter prope basim III. aculeis 2, IV. 2 aut 1 (fortasse nonnunquam nullo) ornati. *Abdomen* 1·6 longum, 1·0 latum, aut maius: 1·9 longum, 1·3 latum, mamillis plus minusve prominentibus, paene ellipticum, postice leviter acuminatum, antice rotundato truncatum et in medio nonnunquam levissime emarginatum, leviter depressum. *Epigyne* (fig. 133) parum dura, foveâ ornata mediocriter profundâ, antice et in lateribus margine circumdatâ acuto, arcuato, postice plus minusve inflexo, 0·16—0·19 latâ, latiore quam longiore, formâ paullo va-

rianti, paene ellipticâ aut fere semicirculari, postice parum definitâ, ab epigastrii margine spatio remotâ leviter convexo, antice laevi, postice leviter in transversum arcuato-plicato, aeque circiter longo atque fovea ipsa longa est. In epigynâ humefactâ (fig. 124) fovea maculam format ceteris partibus paullo pallidiorem, spatium pone eam situm maculis duabus fulvis, obscurius marginatis ornatur ellipticis aut leviter reniformibus (antice excavatis), transversis, inter se contingentibus, coniunctim spatium aeque circiter atque fovea latum occupantibus; prope partem anticam interiorem harum macularum puncta conspiciuntur duo, cum eis vittis brevibus obscuris, parum evidentibus, posteriora versus a se plus minusve discedentibus, coniuncta, obscure colorata, inter se approximata.

Cephalothorax humefactus fuligineus, areâ oculorum et limbo marginali nigris. Mandibulae et sternum umbrina, hoc anguste fuligineo marginatum; labium sterno paullo obscurius, maxillae paullo pallidiores, apice ut labium pallide coloratae. *Pedes* et *palpi* pallide fulvi aut fuscofulvi, coxis subter quam sternum pallidioribus, coxis et trochanteribus supra saepe insigniter pallidioribus, patellis praesertim posterioribus basim versus nonnunquam evidenter pallidioribus, quam partes ceterae. *Abdomen* (fig. 125) pallidius aut obscurius umbrinum, subter non multo pallidius quam supra, colore dorsi in ventris colorem sensim abeunti, nonnunquam picturâ evidentiori omnino carens, saepius in dorso et in laterum parte posteriore picturâ e maculis obscurius aut pallidius isabellinis constanti ornatum: circiter dimidiam aut paullo plus quam dimidiam partem anteriorem et circiter dimidiam latitudinem dorsi vittae occupant longitudinales duae, inter se plus quam latitudine suâ remotae, plus minusve inaequales aut in paria macularum oblongarum dua divulsae; spatium vittis his et apici abdominis interiectum, aeque latum, serie duplici macularum pictum est utrimque 4 aut 5, obliquarum, foras et retro directarum; maculae posticae utriusque seriei duae aut tres inter se confusae sunt et vittam formant oblongam inaequalem, cum vittâ oppositâ angulos fuligineos includentem inter se plus minusve confusos; laterum dimidium posterius vittis ornatur duabus obliquis, deorsum et retro directis, sat latis, postice mamillas fere attingentibus, in dorsum parum productis. Mamillae umbrinae aut supremae fuligineae.

Cephalothorax squamis carere videtur (exempla nostra valde detrita sunt), pilis dispersis ornatur, in areâ oculorum et praesertim circa oculos densius congestis et longioribus. Cinguli oculorum anticorum citrini aut pallidiores; clypeus pilis modice longis et modice congestis, albis instructus. *Abdomen* praeter pilos dispersos probabiliter squamis ornatur longis angustis, parum congestis (cinereis?).

Opiliones.

Phalangium L.

Ph. opilio L.

Phalangium opilio, Linné 1758. Syst. nat., ed. 10, v. 1, p. 618. — *Phalangium cornutum*, Linné 1767. Syst. nat., ed. 12, v. 1, p. 11.

Ins. Madera: pauca exempla adulta et iuniora. Adultorum, etiam feminarum, pars femoralis palporum nigra, reliquae palporum partes dilute coloratae.

Chelonethi.

Chelifer Geoffr.

Ch. subruber E. Sim.?

? *Chelifer subruber*, E. Simon 1879. Les Arachnides de France, v. 7, p. 30.

In ins. Porto Santo lectum est exemplum unum, in quod descriptio *Cheliferi subrubri* non male quadrat, sed modo 2·5 mm. longum.

Chthonius C. L. Koch.

Ch. Rayi L. Koch.

Chthonius Rayi, L. Koch 1873 Uebersichtl. Darstellung d. europ. Chernetiden, p. 48.

Madera: exempla duo.

EXPLICATIO TABULARUM.

Tab. VI.

1. *Filistata pallida* Kulcz., cephalothorax maris.
2. Eadem; cephalothorax feminae.
3. *Lathys affinis* (Blackw.), abdomen feminae, humefactum.
4, 5. Eiusdem speciei epigyne (×76).
6. *Lathys humilis* (Blackw.), epigyne (×76).
7. *Dictyna puella* E. Sim.?, partes patellaris et tibialis palpi maris (×37).
8. *Dictyna flavescens* (Walck.), partes patellaris et tibialis palpi maris (×37).
9. Eiusdem speciei pars antica cephalothoracis et mandibulae maris desuper et paullo a fronte visae (×29).
10. Partes eaedem *Dictynae puellae* E. Sim.? (×29).
11. *Lathys decolor* Kulcz., abdomen feminae, humefactum.
12—14. *Oecobius navus* Blackw.; 12: epigyne (×37); 13: palpi sinistri maris pars tarsalis a latere interiore (×37), 14: „pars terminalis" bulbi genitalis sinistri a latere exteriore visa (×76).
15. *Scytodes thoracica* Latr., cephalothorax.

16. *Scytodes velutina* Lowe, cephalothorax.
17. *Oecobius navus* Blackw., exemplum subadultum, detritum.
18. Eiusdem speciei pars tarsalis palpi sinistri maris ab imo visa (×52).
19. *Zodarium maderianum* Kulcz., epigyne (×37).
20, 21. *Prosthesima setifera* E. Sim., 20: epigyne (×20), 21: apex partis tarsalis palpi sinistri maris (×37).
22—24. *Dysdera Wollastonii* Blackw., bulbus genitalis sinister: 22 a fronte, 23 a latere exteriore visus, 24: eiusdem apex a parte posticâ inferiore visus (×37).
25. *Opopaea concolor* (Blackw.), palpus dexter maris (×76).
26. *Theridium Barreti* Kulcz., epigyne (×76).
27. *Theridium gibberosum* Kulcz., epigyne a fronte visa (×37).
28. *Theridium palustre* Pav., palpi sinistri maris partes patellaris tibialis tarsalis (×52).
29. *Drassodes minusculus* (L. Koch) *var. pictus* (Thor.), pars tarsalis palpi sinistri maris (×20).
30. *Scotophaeus cultior* Kulcz., cephalothorax et abdomen exempli non adulti, detriti.
31. *Drassodes (lutescens* C. L. Koch *var.?) speculator* Kulcz., pars tarsalis palpi sinistri maris (×15).
32. *Prosthesima Schmitzii* Kulcz., epigyne (×37).
33. *Theridium rufipes* H. Luc., palpi dextri maris partes patellaris tibialis tarsalis (×16).
34, 35. *Echemus modestus* Kulcz., 34: pars tarsalis palpi dextri maris (×52), 35: epigyne (×52).

Tab. VII.

36. *Theridium rupicola* Emert.?, abdomen.
37—40. *Theridium gibberosum* Kulcz., femina, 37—39: abdomen, 40: coxae IV. et epigyne (×16).
41. *Enoplognatha mandibularis* (H. Luc.), epigyne (×37).
42, 43. *Enoplognatha diversa* (Blackw.), 42: epigyne (×37), 43: mandibulae maris.
44. *Enoplognatha mandibularis* (H. Luc.), mandibulae maris.
45. *Enoplognatha diversa* (Blackw.), pars tarsalis palpi sinistri maris (×37).
46. *Theridium palustre* Pav., epigyne (×52).
47. *Enoplognatha mandibularis* (H. Luc.), pars tarsalis palpi sinistri maris (×37).
48—52. *Theridium palustre* Pav., abdomina feminarum.
53. *Theridium aulicum* C. L. Koch, epigyne (×29).
54. *Lithyphantes nobilis* Thor., epigyne (×20).
55—58. *Brachycentrum mediocre* Kulcz., palpi dextri maris pars tibialis a latere interiore (55), ab exteriore (56), desuper visa (57) (×52); 58: palpi sinistri partes tibialis et tarsalis (×76).
59. *Linyphia Johnsonii* Blackw., abdomen feminae.
60. *Lithyphantes nobilis* Thor., pars tarsalis palpi sinistri maris (×20).
61, 62. *Linyphia Johnsonii* Blackw., 61: palpi dextri maris pars tarsalis (×37), 62: eiusdem palpi pars tibialis et paracymbium (×37).
63, 64. *Linyphia dearmata* Kulcz., 63: epigyne (×37), 64: cephalothorax et abdomen feminae.
65, 66. *Linyphia Johnsonii* Blackw., 65: epigyne (×29), 66: abdomen feminae.
67, 68. *Cyclosa maderiana* Kulcz., 67: abdomen feminae a latere visum, 68: abdomen alius feminae (post partum) desuper visum.

69, 70. *Linyphia dearmata* Kulcz., abdomen feminae.
71—73. *Cyclosa maderiana* Kulcz., 71, 72: epigyne (×37), 73: venter feminae.

Tab. VIII.

74—76. *Lephthyphantes Schmitzii* Kulcz., epigyne a latere (74), a parte anticâ inferiore (75), a parte posticâ inferiore (76) visa (×37).
77. *Ero aphana* (Walck.), cephalothorax feminae Maderianae.
78. *Meta segmentata* (Clerck) var. *Mengei* (Blackw.), abdomen feminae.
79. *Meta Barreti* Kulcz., abdomen exempli subadulti.
80, 81. *Xysticus maderianus* Kulcz., palpi sinistri maris partes tibialis et tarsalis a latere (80) et ab imo visae (81) (×37).
82—84. *Misumena spinifera* (Blackw.), palpi dextri maris partes tibialis et tarsalis ab imo (82) et a latere visae (83) (×37); 84: epigyne (×37).
85, 86. *Xysticus insulanus* Thor., 85: epigyne (×29); 86: palpi sinistri maris pars tarsalis cum tibiali (×37).
87. *Xysticus maderianus* Kulcz., epigyne (×29).
88—100. *Epeira crucifera* H. Luc.; 88: apex partis tarsalis palpi sinistri maris; 89—96: abdomina feminarum (pube omissâ); 97: palpi sinistri maris partes patellaris tibialis tarsalis (×15); 98: maris cephalothorax et abdomen; 99: epigyne ab imo visa, 100: eadem a latere visa (×20).
101—104. *Clubiona decora* Blackw., 101: pars tibialis palpi sinistri maris Gallici, 102: eadem pars exempli Austriaci desuper visa, 103: eadem pars exempli Gallici desuper visa, 104: eadem pars exempli ad Bonnam lecti desuper visa (×52).

Tab. IX.

105, 106. *Clubiona decora* Blackw., 105: maris Maderiani pars tibialis et tarsalis palpi sinistri (×52), 106: partes eaedem maris Austriaci (×37).
107. *Thanatus oblongiusculus* (H. Luc.), epigyne (×37).
108—110. *Chiracanthium albidulum* (Blackw.), 108: calcar tarsale et processus tibialis maris in ins. Porto Santo lecti; 109 pars tarsalis et apex partis tibialis palpi dextri maris in ins. Maderâ lecti, ab imo visa, 110: eiusdem palpi partes patellaris tibialis tarsalis a latere visae (×20).
111. *Tegenaria maderiana* Thor., epigyne humefacta (×29).
112, 113. *Mesiotelus maderianus* Kulcz., 112: epigyne, 113: feminae abdomen humefactum.
115—117. *Pisaura mirabilis* (Clerck), 115: palpi dextri maris typici pars tarsalis et apex partis tibialis (×15); 116: partes eaedem *varietatis maderianae* (×15); 117: epigyne feminae typicae (×15).
118. *Trochosa Herii* Thor., epigyne (×19)
119, 120. *Trochosa maderiana* (Walck.), 119: epigyne (×15), 120: lamella characteristica palpi sinistri maris a fronte visa.
121. *Trochosa ingens* (Blackw.), lamella characteristica palpi sinistri a fronte visa.
122. *Trochosa insularum* Kulcz., lamella characteristica palpi sinistri a fronte visa.
123. *Pisaura mirabilis var. maderiana* Kulcz., epigyne (×15).
124, 125. *Euophrys sublesta* (Blackw.); 124: epigyne (×29), 125: abdomen feminae humefactum.
126. *Trochosa insularum* Kulcz., epigyne (×19).
127. *Dendryphantes Grantii* (Warburt.), abdomen feminae humefactum.

128—130. *Dendryphantes diligens* (Blackw.) *var. ornatus* (Thor.), 128: cephalothorax et abdomen maris; 129 et 130: abdomina feminarum, humefacta.
131, 132. *Dendryphantes diligens* (Blackw.), abdomina feminarum, humefacta.
133. *Euophrys sublesta* (Blackw.), epigyne (×37).
134, 135, *Dendryphantes diligens* (Blackw.), abdomina feminarum, humefacta.
136—138. *Dendryphantes catus* (Blackw.), abdomina feminarum, humefacta.
139. *Dendryphantes Grantii* (Warburt.), epigyne humefacta (×29).
140, 141. *Dendryphantes diligens* (Blackw.), palpi sinistri maris pars tarsalis cum tibiali a latere (140) et ab imo visa (141) (×29).
142, 143. *Dendryphantes catus* (Blackw.), 142: epigyne, 143: eadem humefacta (×37).
144, 145. *Dendryphantes diligens* (Blackw.), 144: epigyne, 145: eadem humefacta (×29)
146. *Dendryphantes Grantii* (Warburt.), epigyne (×29).
147. *Dendryphantes catus* (Blackw.), palpi sinistri maris pars tarsalis et tibialis (×29).
148. *Dendryphantes nidicolens* (Walck.), pars tarsalis et tibialis palpi sinistri maris (×29).

CORRIGENDUM:

Pag. 334, lin. 8 ab imo: exteriore leg. interiore.

Dodatek do Rozprawy p. A. Rosnera

str. 259—288.

LITERATURA.

Abel. — Zur Anatomie des Eileiterschwangerschaft etc.
Arch. f. Gynaek. 1891. T. XXXIX, str. 393.

Blanc. — Revue obstetr. et gynéc. 1892 Febr. Centr. f. Gyn. 1893 Nr. 13 str. 295.

Bulius. — Gutartige Wucherungen des Syncytiums. Centr. f. Gynaek. 1898 str. 693.

Cock. — Deciduoma malignum. Révue intern. de méd. et de chir. 1897 Nr. 13.

Durante. — Variétés histologiques et nature de la mole hydatiforme. Archives de médecine expér. Juillet 1898.

Eckardt. — Beiträge zur Anat. der menschl. Placenta.
Zeitschr. f. Geb. u. Gynaek. XIX, str. 193.

Fraenkel. — Die Histologie der Blasenmolen ... etc.
Arch. f. Gynaek. XLIX, str. 481. 1895.

Fraenkel. — Das von dem Epithel der Chorionzotten ausgehende Carcinom des Uterus.
Arch. f. Gynaek. XLVIII, 1895 str. 80.

Fraenkel. — Vergleichende Untersuchungen des Uterus und Chorionepithels.
Arch. f. Gynaek. LV, 1898 str. 269.

Franqué. — Ueber eine bösartige Geschwulst des Chorion etc.
Zeitschr. f. Geb. u. Gynaek. XXXIV, str. 199.

Gebhard. — Ueber des sog. Syncytioma malignum.
Zeitschr. f. Geb. u. Gynaek. XXXVII, str. 480.

Gottschalk. — Ein Uterus grav. aus der 5 Woche der Lebenden ... etc.
Arch. f. Gynaek. 1887 XXIX, str. 488.

Gottschalk. — Beitrag zur Entwickelungsgeschichte der menschlichen Placenta. Arch. f. Gynaek. 1890, XXXVII.

Gottschalk. — Weitere Studien über die Entwickelung etc.
Arch. f. Gynaek. 1891, XL.

Gottschalk. — Ueber das Sarcoma chorion-deciduo-cellulare. Berl. klin. Woch. 1893, Nr. 4.

Gottschalk. — Das Sarcom der Chorionzotten.
Arch. f. Gynaek. 1894, XLVI. str. 1.

Berry Hart. — The minute anatomy of the Placenta etc. Edinb. med. Journ. 1889 Oct. Nr. 412.

Heinz. — Untersuchungen über den Bau und die Entwickelung der menschl. Plac. Arch. f. Gyn. XXXIII, p. 413 1888.

Hofmeier. — Beiträge zur Anat. und Entwickl. der menschl. Plac. Zeitschr. f. Geb. u. Gyn. XXXV, str. 414.

Johansen. — Ueber das Chorionepithel des Menschen. Monatsch. f. Geb. u. Gyn. V 1897, str. 291.

Kastschenko. — Das menschliche Chorionepithel.
Arch. f. Anat. u. Physiol. Anat. Abth. 1885, str. 451.

Klotz. — Zur Frage der „Deciduome".
Arch. f. Gynaek. XXIX, 1887, str. 78.

Köttnitz. — Ueber chorio-deciduale Tumoren ..... etc. Deutsche medic. Woch. 1893, Nr. 21.

Kossmann. — Zur Histologie der Extrauterinschwang. etc. Verh. der Gesell. f. Geb. u. Gynaek. in Berlin.
Zeitsch f. Geb. u. Gynaek. XXVII, str. 266.

Langhans. — Ueber die Zellschicht des menschl. Chorions. Festgabe zu Henles Jubiläum, 1882. Beiträge zur Anat. u. Embryologie.

Löhlein. — Sarcoma deciduo-cellulare ... etc. Centr. f. Gynaek. 1893, Nr. 14 str. 297.

Marchand. — Ueber die sog. „decidualen" Geschwülste ... etc. Monatsschr. f. Geb. u. Gyn. I. 1895.

Marchand. — Histologie der Blasenmole. Zeitsch. f. Geb. u. Gynaek. XXXII, 1895

Marchand. — Ueber das maligne Chorion — Epitheliom etc. Zeitschr. f. Geb. u. Gynaek. XXIX, 1898.

Mars i Nowak. — O budowie i rozwoju łożyska ludzkiego. Tom XXX Rozpraw Wydz. mat.-przyrodn. Akademii Umiej. w Krakowie, 1895.

Merttens. — Beiträge zur normalen u. pathol. Anat. der menschl. Plac.
Zeitsch. f. Geb. u. Gynaek. XXX i XXXI 1894 i 1895.

H. Meyer. — Ein Fall von zerstörender Wucherung zurückgebliebener myxomatöser Chorionzotten.
Arch. f. Gyn. XXXIII, 1888 p. 53.

Müller. — Ueber das Deciduoma malignum. Verh. d. deutsch. Gesell. f. Gynaek. Bonn. 1891, str. 341.

Neumann. — Beitrag zur Lehre vom „malignen Deciduom". Monatsch. f. Geb. und Gynaek. III. 1896, str. 387.

Neumann. — Beitrag zur Kenntniss der Blasenmolen etc. Monatsch. f. Geb. u. Gynaek. VI. 1897.

Nowak. — Dalsze badania nad budową i rozwojem łożyska ... XXX Tom Rozpraw Wydziału matem.-przyrodn. Akad. Umiej. w Krakowie, 1895.

Orth. — Das Wachsthum der Placenta foetalis ..... etc. Zeitsch. f. Geb. u. Gyn. II 1878, str. 9.

Pestalosza. — Contributo allo studio dei Sarcomi dell'utero. Il Morgagni XXXIII, Sept. 1891.

Pfeiffer. — Prager medic. Woch. 1890, Nr. 26.

Anna v. Rheinstein-Mogilowa. — Ueber die Betheiligung der Zellschicht ... etc. Virch. Arch. CXXIV, str. 522.
Rosner. — Deciduoma malignum. Rocznik Tow. ginek. krak. 1896.
Sänger, — Ueber „Deciduome". Verh. d. deutsch. Gesell. f. Gynaek. Bonn. 1891, str. 333.
Sänger. — Ueber Sarcoma uteri deciduo-cellulare .... etc. Arch. f. Gynaek. XLIV, 1893, str. 89.
Schmidt Martin. Ueber Syncytiumbildung in den Drüsen .... etc. Monatschsf. f. Geb. u. Gyn. 1898.
Schmorl. — Ueber malignes Deciduom. Centr. f. Gynaek., 1893 Nr. 8.
Stankiewicz. — Przyczynek do nauki o złośliwych nowotworach kosmówki (Exochorioma malignum). Gazeta lekarska, XVIII, Nr. 3. Styczeń 1898.
Steinhaus. — Beitrag zur Casuistik der malignen Chorionepitheliome. Centr. f. Bakteriol.... etc. XXIV, Nr. 24 str. 55.
Trautenroth. — Weitere Beobachtungen über Deciduoma malignum. Monatsch. f. Geb. u. Gynaek. 1898.
J. Veit. — Verh. d. deutsch. Gesell. f. Gynaek. Bonn 1891 str. 342 (dyskusya).
J. Veit. — Deciduoma malignum. Veit'a Handbuch der Gynaekol. T. III str. 539.
H. L. Williams. — Chorio-epithelioma the so called Deciduoma malignum.
Zedel. — Zur Anatomie der schwangeren Tube .... Zeitsch. f. Geb. u. Gyn. XXVI, 1893, str. 78.

OBJAŚNIENIE RYCIN.

Fig. 1. — Zeiss DD. ok. 3. Haematoksylina. Skrawek nowotworu złośliwego t. zw. „deciduoma malignum".

a, *a*, — masy syncytialne — zawierają wielką ilość dobrze barwiących się jąder. Masa ta poprzerzynana jest całym systemem kanalików *c*, *c*. Wśród niej nieliczne duże kómórki o jasnej protoplasmie i dużych jądrach (*b*, *b*). Są to kómórki Langhansa.

Fig. 2. — Przekrój jaja, zamienionego w zaśniad (wielkość naturalna)

a, — miejsce, w którem jaje się przerwało

b, *b*. — Guzy sterczące ku wnętrzu jaja

c, — wnętrze jaja.

Fig. 3. — Zeiss A. ok. 4. Haematoksylina — Van Gieson. Skrawek ze ściany jaja płodowego, zmienionego w zaśniad. Przedstawia wyspę kómorek Langhansa, leżącą wśród skrzepu.

a, *a* — Skrzep, stanowiący podścielisko.

bb, — rozsiane kómórki Langhansa.

Fig. 4. — Zeiss A. ok. 1. Haematoksylina — Van Gieson. Skrawek ze ściany jaja płodowego, zmienionego w zaśniad. Przedstawia kosmek graniczący z jednej

strony ze skrzepem, zresztą w kształcie półwyspu sterczący ku szczelinie wypełnionej płynem.

a, *a* — Syncytium
b, *b*, — kómórki Langhansa
c, — tkanka łączna kosmka
d, — skrzep.

Fig. 5. — Zeiss D. ok. 4. Haematoksylina — Van Gieson. Skrawek ze ściany jaja płodowego, zmienionego w zaśniad. Przedstawia zanikający kosmek, otoczony nekrotycznym nabłonkiem Langhansa.

a, — Skrzep.
b, — warstwa kómórek Langhansa
c, — tkanka łączna zanikającego kosmka
d, — ogniska skrzepu wśród tkanki łącznej.

Fig. 6. — Zeiss D. Ok. 4. Haematoksylina — Van Gieson. Skrawek ze ściany jaja zmienionego w zaśniad Przedstawia wybujałe i ulegające wakuolizacyi syncytium.

a, *a* — wakuola
b, — wakuola wypełniona skrzepłą treścią
c, — syncytium z jądrami.

Fig. 7. — Zeiss A. Ok. 1. Haematoksylina — Van Gieson. Skrawek ze ściany jaja, zmienionego w zaśniad.

a, — Syncytium, wyścielające szczelinę
bb. — wybujałe kómórki Langhansa
c, — kómórki doczesnej
d. *d*, — tkanka łączna kosmków z utrzymanemi jądrami
e, — skrzep.

Fig. 8. — Zeiss A. Ok. 4. Haematoksylina — Van Gieson. Skrawek ze ściany jaja zmienionego w zaśniad.

a, — Syncytium, wyścielające brzeg szczeliny
b, — tkanka łączna kosmka
c, — kómórki Langhansa
d, — skrzep.



W. Kulczyński ad nat. delin. *Lit. M. Salb w Krakowie*



W. Kulczyński ad nat. delin. Lit. M. Salb w Krakowie.

fig. 1.



fig. 2.



fig. 3.



fig. 4.





Rys. Edward Strumpf.

Litografia Karola Kranikowskiego w Krakowie









rys. J. Barącz.



H. Kulczyński, ad nat. del.

Lit. M. Selb w Krakowie.



W. Kulczyński, del. nat. del. Lit. M. Sulb w Krakowie.



W. Kulczyński, ad nat. del.

Lit. M. Sulb w Krakowie.



W. Kulczyński ad nat. del.

Lit. M. Salb w Krakowie.